aristophanes, aristophon, aristorides Argus, *aristoteles*, Aristotelicus, *aristoxenus*, arithmetica, arithmeticus, *armacanus* seu Armicanus, si de Marte Gallico Iansenij Iprensis intelligas, armariolum, Armagedon Apocalypseos cap. 16. n. 16. vel legitur Armageddon, *armamithres*, armamentarium & armarium, quamquam hæc cum aliis multis poterant prætermitti, *armene* vrbs, *armenia*, Armeniacus, *armenidas*, *armenus*, armentarius, armifer, armiger, armilustrium, armipotens, armisonus, *armorica*, *armoricus*, *arcer* vrbs Moab, aromaticus, *arotreba*, arrhabo, arrhenogonon, arrigo, arripit, *arria* & *arrius* Latinæ voces, item *arrius* Philosophus & scriptor, arrogans, arrogo, arrugia, *arsaces*, *arsacide*, *arsacia*, *arsacius*, *arsamus*, arsenicon siue arrhenicon, *arsenius*, arsenogonon, *arsinoë* regina, artaba, *artabri* populi, *artaburius*, *artacia* fons siue Artacee, *artamenes*, *artaxata* vrbs, *artaxias*, *artemas* ad Titum 3. 12. *artembares*, *artemis* seu Diana, *artemisia* Mausoli vxor, artemon artemonis velum quoddam seu trochlea in naui, Actorum XVII. 40. *artemon* hæretici alteriúsque viri nomen, cuius crementum produci aliàs docuimus, arteria siue arterium, *arthemenes*, arthriticus, arthrodia, articulo, articulus, artifex, artigraphus apud Seruium & Cassiodorum lib. de Orthographia, *artocles*, artocopus, artocreas, artolaganum, artopolium, *arturius*, *aruernia*, *aruernicus*, *aruiragus* Rex Britanniæ, *arusium* vinum, arula, arundifer, arundineus, arundininus, *arybas*, *Arzuges*.

AS. AS. AS.

PRODVCVNT *asarelas*, asarotum pauimentum, *asbotus* vrbs, ascalabotes, *ascalonita*, asceta, ascetis, *ascita* populi, ascitus, asciui, *asclepas*, *asclepiadeum* carmen, *asclepioclides*, *asclepiodorus*, ascodrogi & ascodrogitæ, ascopera marsupium, *ascraeus*, *asculanus*, ascyroides, *asemona* vrbs, *aseroth*, *asiagetes* apud Sidonium, si tamen vox sana, *asianus*, *asilas*, *asili* populi, asilus, asininus, *asopodorus*, *asopus* fluuius, *asopis*, asotus id est prodigus, *aspalathea*. *asphaltites* lacus, aspidinus apud Iulium Sca-

ligerum, aſpiramen, aſpiro, *aſpledon* vrbs, aſplenon herba, *aſpona*, *aſporenus*, aſpretium, *aſſamonei*, aſſatura, aſſatus, aſſecla vt quidam, aſſecutus, aſſentator, *aſſera*, *aſſeſus*, aſſeuero, aſſidela, aſſido, *aſſorum*, *aſſuerus*, aſſuetudo, aſſuetus, aſſulatim, aſſumo, *aſſuris*, *aſtacene*, *aſtius*, *aſtraa*, *aſtraus*, *aſtrapetus*, aſtroides, aſtroites, aſtutus, *aſtydamia* Ormeni filia, *aſtymeduſa*, *aſtyochia* Aſtoris filia, *aſtypalaa* vel ea, inſula, *aſylas*, aſylum.

Corripivnt penultimam Aſarum herba, *aſaroth*; aſaroticus, aſbeſtinus, *asbolus* canis quidam Ouidio, aſcalabus, *aſcalaphus*, *aſcalon* vrbs, *aſcanius*, aſcarides vermes, *aſcarades* ſiue *aſcetades*, aſceterium, aſcetica, aſcetria, *aſchetus*, aſcia, aſciola, *aſclepiades*, *aſclepius*, *aſcletarion*, *aſclepiodotus*, *aſcomus*, *aſculum*, aſcyron, *aſdrubal*, *aſia*, *aſiacus*, *aſiaticus*, *aſium* pratum, *aſiagenes* ſeu Aſiagenetes apud Sidonium Apollinarem, aſina, *aſine* inſula, *aſinius*, aſinus, Aſius, *aſiongaber*, aſomatus expers corporis, *aſopiades*, áſotia luxus, aſpalathus, aſparagus, *aſpaſia*, *aſpaſius*, aſpaſticum, *aſpendius*, aſperitas, aſpero, *aſphalion*, aſphalticus, aſphodelus, aſpicit, *aſpidia*, *aſſaracus*, aſſecla, aſſero, aſſidet, aſſiduitas, aſſibilo, aſſilit, aſſimilo vel aſſimulo, aſſitus, *aſſius*, *aſſinarus*, *aſſiſias*, *aſſiſium*, aſſolet, aſſono, aſſuefacit, *aſſyria*, *aſſyriacus*, *aſſyrij*, *aſtaboras*, vel aſtaſobas fluuius Ægypti, *aſtaces* ſiue *aſtacus* vnde Aſtacides Menalippus, aſtacus cancer, aſtaphys vua paſſa, *aſtapus*, *aſtaroth*, *aſtaſius*, aſtati hæretici, *aſteria*, *aſteris*, aſterias, aſtericon herba, *aſterion*, *aſterius*, aſthmaticus id eſt anhelus, *aſtigis*, aſtipulor, Aſtiti, *aſtomi* populi, aſtragalus, aſtrifer, aſtriger, aſtriloquus, aſtrolabium, aſtrolabus, aſtrologia, aſtrologus, aſtronomica, aſtronomus, aſtupet, *aſtura*, *aſtures*, *aſturica*, *aſturicus*, *aſturia*, aſtutia, *aſtyages*, *aſtyanax*, *aſtydamas*, *aſtylus* Centaurus, *aſtynome* Chryſæ filia, *aſtyoches*, aſtypylus, *aſtyrum*, aſymbolus, aſymmetria, *aſyncritus*, aſyndetum, aſyntheton, aſyſtaton.

AT. AT. AT.

Prodvcvnt penultimam *Atacinus* Varro, *Atalanteus* adi. *atarnita*, *atarnites* nymphę, Atellanę fabulæ,

fabulæ, *Atergateum* primi Machabæorum cap. 12 *ateſtinus*, *athalaricus* & *athanaricus* Reges Gothorum, *athamani* leues populi, *athamanteus* adi. *athena*, *athenæus*, *atheneum*, *athenais* Eudocia vxor Theodoſij iunioris ex quorumdam ſententia, *athenoclides*, *athenodorus*, atheta, atherina, athleta ſeu athletes, *atina* vrbs, *atinas*, *atimetus*, *atintanes* populi, *atlanteus* adi. *atraceis*, *atramitæ*, *atramota* & *atramotitæ*, *atramyttenus*, *atratinus*, atratus, *atrebatum* vrbs & *atrebates* populi, vt quidem cum eruditis viris pronunciandum cenſeo, *atrena*, *atreus* adiect. *atrides*, *atropateni* populi, *attaceni* populi, attagena, *attalia* vrbs Aſiæ etiam in Actis Apoſtolorum, *attaliates*, *attanes*, attenuatus, *attilianus*, attributus, attritus, *aturrus* fluuius ſed geminata dumtaxat caninâ literâ.

CORRIPIVNT penultimam atabula, *atabulus* ventus, *atabus*, atauus, atenim, *atergatis* Dea Syriæ Derceto, *athagoræ*, *athalia* Regina IV. Regum 8. *athamantiades* Palæmon, *athamas*, *athanaſius*, athanatus, *athenaā* vt Thebais, Copais, Phocæis. &c. *athenagoras*, *athenocles*, *athenogenes*, *athera*, *atheſis* fluuius, atheus, athleticus, athlotheta certaminis iudex, *athrybiticus*, *athyras* fluuius, *atila* ſeu potius attila, *atilius*, *atlantiades* Mercurius, *atlanticus* & *atlantiacus*, *atlantides*, atnepos, atomus, *atracides*, *atracius*, *atracis* Hippodamia, *atramyttium* vrbs, *atrebas*, *atrebaticus*, *atreus* ſubſtantiuum, *atria*, atriplex herba, *atronius*, atrociter, atrophi pueri, *atropos* vna è Parcis, *attacora*, attacus, *attadus*, attagen, *attagus*, *attalus*, *attalicus*, attamen, attamino, attegiæ, attego, attelabus, attero, *attica* regio, *atticus*, attigo caſcum apud Comicos verbum vnde attigi, attiguus, &c. *attila* ſiue *atilas*, attinet, attonitus, attraho, *aturicus*, Atypus, *atyrus* ſiue Aturus vnde Aturæ ſeu potius *adura* vrbs Nouempopulaniæ.

PRODVCVNT penultimam *Aualita*, *auaricum* vrbs Galliæ in Biturigibus Cubis, auarus, *auchiates*, auctionor, auctoratus, auctoro, auditor, *audomarus*, *audoënus*, *audouera*, *auellanus*, vnde Auellanæ nuces, auena, *auentinus*, auernalis, auerruncator, aufidena, *aufidianus*, *aufilena*, *aufridus*, *augea* seu Augea vrbs, *augias* saltem Rex Elidis, *auginus*, auguralis, augustale, *augustalis*, augusteon siue augusteum, *Augustinus*, *augustodunum* & *augustoritum* vrbes Galliæ, & forte etiam *augustobana* Tricassium, nam Augustonemetum Aruernorum, si Fortunatum audias, pen. corripit, *auidienus*, *auienus*, *auitacus* Sidonio, *auitus*, auitus, aulæum, *auletes* Ptolemæus, Aùletris, *aulocrene* vel *aulothrene*, aulœdus, *aulona* vrbs, aurata piscis, auratus, *auratus*, *aurelianus*, *aurelianum* siue Aureliani vrbs, auricularis, aurificina, aurifodina, auriga, aurigo nomen & verbum, aurigluten, auritus, aurora, aruginosus, aurugo, *ausitis*, auspicalis, auspicatò, auspicina, austerus, *autisiodorum* vrbs quæ vulgo scribitur Antissiodorum, austerus, *austregisilus*, siue simplici, siue vt quidam scriptitant, geminatâ consonante, australis, Austrinus, *austrudis*, authoro. sic enim quidam scribere malunt, *autanitis*, *autolaus*, *automedonteus* & *autonoeus* adiectiua, autophores, *autophradates*, autopyrus panis cibarius, *autricum* vrbs Carnutum, autumnalis, *auxanus* Ep. auxesis, auxiliator, auxiliaris, *auximates*, *axmarus*, *axylus* Iliados 3. v. 12. vnde vnde veniat, axinomantia, axioma, *axion*, *axionicus* à *ἀξίων*, *axones* populi si tamen proba Lucani lectio, *axumis*, *azadane* Regio, *azanes* vel Aza-

ṇi, *azeca*, *azetene*, *azarethes*, *aziote*, *azorus* & *azotus* ſeu potius Aſotus vrbs Palæſtinæ, quibus libenter adiungerem azymus & azyma, vt aliàs planè euicimus, & eruditis perſuaſimus, niſi inueterata conſuetudo obſiſteret.

Corripivnt penultimam *Auares* populi, *auaricus* quidam apud Silium libro quinto, *auaris* fluuius, auctoritas, aucupor, *aud fax* cuius crementum Audifacis producere ſoleo ſicut Syphacis, audacis, ſternacis, vt quid enim deflectat à regulâ? *audomaropolis*, Audomatus vt vulgò, libentius tamen cum Oudarto & doctioribus producerem ex analogia, aueho, *auelis*, *auenio*, *au-nticum*, auernicus, auerſabilis, auferor, *aufidus* fluuius, aufugit, *augarus*, *augeas* Elei filius, *augias* Poëta quidam, *aufia*, *augile* vel *augule*, auguro & auguror, auia, auicula, auius, auiatium, auiditas, auidus, aulicola, aulicoquus, auoco, auolo, aurantia mala, autaria, *aurelius*, *aureliacum*, *aureolus* aureolus, *auria*, auricolor, auricomus, auricula, aurifer, aurifex, aurigena, *aurigera*, aurilegus, aurinus pro aureo, auriſcalpium, aurochalcinus, aurologium, *auſcij*, *auſcium*, *auſones*, *auſonius*, *auſonidæ*, *auſonius*, auſpicor, auſteritas, *auſtraſia*, *auſtregiſilus* vt plurimi, ſed quantum auguror minùs accuratè, *auſtriacus*, *auſtria*, authenticus, authoritas, Autochthones, autographum, *autololes* populi, *autolycus* furtum ingenioſus ad omne, automata, *automedon*, *automoli*, *autonomus* Martyr, *autonoë*, autumnitas, autumo, auturgia, auunculus, auxilior, *auximus* ſiue Auximum vrbs Piceni, *axares*, *axenus* pontus olim qui poſtea dictus eſt Euxinus, *axia*, *axiaca* populi, axiculus, *axiochus*, *axiothea*, axiomatici, *axius* fluuius, *axona* fluuius Galliæ, axungia, axylus id eſt ligno carens, *azades*, *azarias*, *azotij*, & ſi loquendum vt multi azymus, azyma, azymis, &c.

BAB. BAL. BAS.

PRODVCVNT penultimam *Baanes* & *Baarianus, babolenus, babucum, babyce*, baccatum monile, Bacchanal, *baccheis, bacchēus*, Baccheum vasis genus, bacchius pes metricus, bacelus id est effœminatus, *batreni* seu Batriani, *bactreni* siue Bactriani, *badichora, badocus, bebeis*, bæticatus, *bagacum* vrbs, *bagoas* nomen Eunuchi, *bahurim* II. Regum 16. *baianus, baiazethes, baiocassini, baiona* vrbs, *balaamus*, balæna, balanatus, balanites gemma, *balatores*, balatus, *balbina, balbinus*, balbutit, *baldomerus* 27. Februarii, *baldricus* seu Baldericus, *balduinus, baleares* insulæ, *ballienus*, ballote manubium nigrum, balluca, balneator, balsametum, *baltfredus, bambyce* vrbs, *bamura, bandenus, bantinus*, baphia, baptizo, *baracus, baradatus, baranes, barbatus, barcinona, barcinus, bardanes* & *bardesanes*, Bardariotæ, *barea* & *barena* vrbes, *bariesu* Magus Act. 13. *barine*, barinus piscis, *bariona, barlaamus*, barrinus, barritus, *barsene* seu barsine, *barsumas, bartholomaus, bartieta*, basanites lapis, Basatum corruptè & ex vulgi ore pro Vasatum, basiator, *basilea* seu Basilia vrbs, basilicani, *basilides, basilius, basilicinus, basilina, basina, basinus, bastitani, batauodurum, batauus* vt volueris, hoc tantùm moneo longè à pluribus Poëtis produci, *batea, batyea* vxor Danai, *batini* saltus, batrachites lapis, *bauinona*, quibus bascudas, siue vt vulgo legunt, bascaudas apud Iuuenalem annumerabis.

CORRIPIVNT penultimam *Baanan*, *baasa*, *babylas* Martyr 14. Ianuarij, *babylon* vrbs, *babylonia*, Babyloniacus, *babylonicus*, *babytace* vel Barbathace vrbs Persidis, *bacchanus* apud Martialem, Baccaris vel baccharis herba, (nam baccharis verbum sat notum penultimam producit) *bacchiadæ* apud Corinthios, Bacchicus, *bacchides*, *bacchius*, vir quidam apud Horatium, *bacchylides* Lyricus Poëta, *bacchylus*, baccifer, baculus, Bætigena, Bæticola, Bæticus, bætula, *beryllus*, *bagao* Eunuchus in libro Iudithæ, *bagradas* fluuius Libyæ, *baioaria*, *baiocæ* vrbs, baiulo, baiulus, *balacri*, balanus glans, balaninus, balatro, balaustinus, balaustium, *balbulus*, *balearicus*, *balerus*, *balgarus*, *balgentiacum*. Balioli, balius equus, *ballonoti* populi, balnearius, balneolum, balsaminus succus, balsamum, *balsamon*, *balsamus*, *baltasar*, balteus, *balthicum* mare, bambacium, bambacinus, *bambalio*, *banasar* fluuius, *bandelius*, *bandominia*, baptisterium, *barace* & *baracus* apud quosdam, *baradon*, *barathema*, *barathra*, barathrum, *barbara* Virgo, barbaria seu barbaries, *barbarismus* barbaricus, barbarus, barbarulus, *barbito*, barbiger, barbitos hæc vel hoc barbitum, *barcine* vrbs, *barcochebas*, bardaicus & bardiacus, bardesola, *bardyles*, *bareas*, *baria*, *barium* vrbs, barides, Barlaam, *barnabas*, *barsabas*, *bartolus* IC. *barula* Martyr 18. Nouembris, *barulum*, barytonus, barycæ & barycephalæ ædes apud Vitruuium; *basagus*, basileus Latinè ex Græco nomine βασιλεύς, basilica, basilicè, *basilus*, basio, basium, *basolus*, *bassareus*, *bassaricus*, *bassaris*, *batania*, *batanus* ex Lucano, batiocus, batiola vas quoddam, *bathuel*, batrachomyomachia, *batrachus*, *batrulus*, *battarus*, *battiades*, battologia, *batulum* vrbs, *batua*, batuo, batutilis, *bauaria*, *bauarus*, *bauius*, baxeæ, bdellium.

BE. BE. BI.

PRODVCVNT penultimam beatitudo, *beatrix*, beatus, bebrinus, *bebryces* aliquando sed rariùs, Beccefelenus, *bechires* populi, *belides* singularis numeri Palamedis epitheton, bellator, *bellerophonteus* equus, bellicosus, *bellona*, *bellouaci* & *bellouacum*, *bellouesus*, belluatus, belluinus, belluosus, *bembina*, *bembinatis*, *benacus*, benedico,

benedictini, *beneuentanus*, *beniaminus*, *benidia*, *benosus*, *bereniceus* adiect. *berenice*, *bergomates*, *berinu*, *beronicus* Martyr, *beraea* seu berrhœa, *bernardinus*, *bernice*, *berosus* Chaldæus, *bertaridus*, *bertinus* 5. Septembris, *bertora*, *bertrada*, *bertruda*, *bertramus*, *berytus* vrbs contra quàm indocti quidam sentiunt, *besola*, bessalis, *bethana*, *bethauen*, *bethera*, *bethleemum*, *bethlemita*, *bethoron*, *bethsamita*, *bethsura*, *bianor*, *bibiana*, *bibianus* seu Bibienus, bibliopola, Bibliotheca, *biblina* regio Thraciæ, bibiturus, bibosus, bicubitalis, bigatus, *bigerritanus*, *bilbilitanus*, bilibris, bilices loricæ, bimater Barchus 4. Metamorphoseon, biocolytæ, *bieneus* adiect. bipartitus, bipedalis, biremis, *birinus* 3. Decembris, bisacutus, bissenus, bissextilis, *bisuntinus*, *bithynus*, *bithynis*, bitumen, bituminosus & fortè *bituitus* Aruernorum Princeps.

Corripiunt penultimam beatitas beatulus, *bebryacum* palatium, *bebryce* rariùs quippe crementum illud producitur, *bebrycius*, bechium herba, bechium medicamentum quod tussi medetur, *beelphegor*, *beelzebuth*, *begabar*, *behemot*, *belenus* Apollo priscis Gallis, *belgicus*, *belgium*, *belgius*, *belial* *belias*, *bilites* pluralis numeri, bellaria, bellagines seu bylagines leges Gothorum, bellatulus, *bellisarius*, Bellerus Corinthi Rex, *bellipares*, *bellerophon*, bellicrepus, *bellita* seu Bellicum, bellicus bellifer, belligero, bellipotens, bellisonus, *belloneti* populi, *bellouaci* & *bellouacum* vrbs, vt quidem passim omnes pronunciant reclamantibus nonnullis eruditioribus, qui producenda censent vt cetera eiusdem formæ vrbium nomina Bagacum, Camaracum, Tornacum, &c. *belnicum* vinum, *benadab*, *bendegar*, benefacit, beneficus, beneuolus, *beniamin*, *beniamida*, benignitas, *benoni*, *ben-merodach*, *bentiuolus*, *bergomas* & *bergomum* vrbs vt quidem volunt, *berecynthia* mater, *berecynthiacus*, *berentiades*, *bermius*, *beroë*, *bersabea*, *bersabee*, *bersaba* & *berseba*, *berytius*, *berzellai*, *beseleel*, *bessarion*, bestiarij, betaceus, *bethaba*, *bethania*, *bethleem*, *bethlemiticus*, *bethphage*, *bethsa-*

da, *bethsames*, *bethsamida*, *bethulia*, betonica, betula, *betulo*, *bituria*, bibaculus, biblia, bibliacus & biblicus, *biblides*, bibliopolium, *bibulus*, bibulus, bicolor, bicorniger, bifidus, bifores fenestræ, bigamia, bigamus, biiugus & biiugis, *bilbilis* patria Martialis, qui Bilbilicus propterea Vates dicitur, *billicum*, bimaris Corinthus, bimulus binominis, biothanati, bipalium, bipatens, bipennifer, Bisalticus, bisapor, *bistones*, *bistonida*, *bistonius*, *bithynia*, *bithynicus*, *bitias*, bituminous, bitumino, *bituricus*, *biturica* seu *biturigæ*, *bituris* & in plurali Bituricesaut Bituriges populi, biuium, binomus.

BL. BOE. BO.

PRODVCVNT penultimam *Blasianus*, *blandianus*, *blandina*, blanditus, blasphemo, blasphemus, *blastophœnices*, boatus, *bobetus*, *bobonea*, *bocaredus*, *bocchura*, *bode esilus*, *bodeni* populi, *bœbeis* in Thessalia, *boems*, *bœoti*, *boëthus*, *bogomili* hæretici, *bolanus*, *bolbœotes*, *bolbene*, *boleslaus*, boletus, bolites, bolodes, bombyces, bonasus seu bonnasus, *bonauentura*, *bonitus* seu bonetus Ep. *bonosus*, *boodus*, *booneta*, *bootes*, Borealis, Boreus & Borinus adiectiua, borrago, *borsira* vrbs, *bostrenes*, bostriclites gemma, *bosphoranus*, *bostreni* populi, *botbericus*, *botoniates*, *botrodum* locus Celtiberiæ, Botrytes seu botryites gemma, *bouianum*, bouile, bouinator, bouinor, bouinus.


CORRIPIVNT penultimam *Blasia*, blandiculus, blandiloquus, blanditiæ, blandulus, *blandusia*, *blasius* blasphemia, blatero nomen & verbum, blatio blattifer, *blauia* seu Blauium castrum, *blemmis* seu Blemyæ, aut Blemyes, *blemmides*, *blepharo*, *blitera* vrbs nisi gemines rho vt fit in Biterræ, bliteus, *boagrius* fluuius, boarium forum, *bocchoris* seu *bocchyris* Rex Ægypti, *bodilo*, Boëdromion, *boëmia*, *boëmicus*, *bœotia*, *bœotinus*, *boëthius*, *bogoris* seu Bogaris, *boius*, *boioaria*, bombilo, bombomachides, bombycinus, bombylius, *bonifacius*, bonitas, *bononia*, boracinus, *borbetomagus*, *boreas*, *borussia*, *borysthenes* fluuius, *borysthenida*, *bosphorus* seu

potiùs ex Græco *bosporus*, *bosphoricus*, *bosphoride*, botryo, botulus.

PRODVCVNT penultimam *brabantinus*, brabeuta, brabium seu brauium, qq. etiam brabeum, Braccata Gallia, brachiale, *brachmanes*, apud Indos & Iapones, *brachodes* vrbs Africæ, bracteatus, bramosus, *brannouices*, brauium, brephotrophium, *briareus* & *briseus* adiectiua, *briseis*, *brigantinus* & *bragantinus*, *brigida* seu Brigita, *briocus*, *britones* rariùs, *briuate*, *briuates*, *briuodurum*, *brixiani*, bronchocele, bronteum, brumalis, *brundusinus*, *brutianus*, brutina consilia, bryonis vitis, *brysea* vrbs, bubalinus, bubile, bubonocele, buccellatum, buceta, buccinator, *budea* vrbs, *budeus*, *budorus*, bulimus fames horrida, bullatæ nugæ, *burgundiones*, buselinum, *busoris*, bustualis, *buthrotus* seu Butrotum vrbs, buttubata Næuij vt volunt, neque abludit Iulius Scaliger, butyrum vt quidem contra inficetos literiones pluribus aliàs docuimus, buxetum, *bu ites*, *byzantinus*, *byzenes* populi.

CORRIPIVNT penultimam *Brabantia*, *bracara*, *bracares*, brachium, brachylogia, bractea, bracteola, bradypus, *bragada* seu Bagrada fluuius, *branchiades*, *branchida*, brandea apud S. Gregorium Papam aliósque, *brasidas*, brassica, brassicula, *brasilia*, *brasili* populi, *bratuspantium*, *braulio*, *brennicus*, *bretannio*, breuiculum, breuiloquus, breuitas, *briareus* Gigas, Briareius, *brigantia* & *brigantio* seu Brigantium, Briseius, adi. *brincola*, *britannia*, *britannicus*, *britones* sæpiùs, *briuisara* seu Briua-Isaræ vrbs quæ vulgò Pontisara, *brixia* & *brixino* vrbes, *bromius*, *bronium* locus Belgicæ, *bronteas* & *broteas*, *bruchium*, *bructeri* populi, *brundusium*, *brutia*, *brutij*, *brutiada*, *brutidius*, *brutium*, Bryonia siue bryonias vitis, *bubalus*, *bubasides* nurus, *bubastiacus*, *bubasus*, bubulcitor, bubilum, bubulo, bubulus, bubonium herba, bubsequa, buccææ, bucera armenta, & buceriæ greges, *bucerus*,

bucères, buccina, buccula, *bucephalus*, *bucephale* & fortè etiam *bucephalia* vrbs, Bucolica, *bucolus*, *bucolion*, bucula, buculus, bugloſſinus, bulapathum, *bulgaria*, *bulgari*, bugonia, bulimia, *bullatius*, *bulliones*, bunias, *bupalus* ſculptor, *buprasium* vrbs, *burdegala* quaſi Biturigala, *burgundia*, *burgundio*, *burgundicus*, *burgundophora*, burhanicus, buřichus, burdicus, *busacteri*, buſtirapus, buſtuarius, *butade*, buteo, buticularius, buxeus, buxifer, byſſinus, *byzantiacus*, & *byzantium*.



CAB. CAC. CÆ.

PRODVCVNT penultimam *Cabalinus* Copronymus Imperator & *Caballinus* fons à Pegaſo dictus, *cabesus* vrbs, *cabilonum*, *cabiri* dij, caccabatus id eſt niger apud S. Paulinum; cacochylus & cacochymus, de quorum ſimplicibus dictum eſt in Theſauro Proſodico Græco, cacoëthes, cacoëthia, cacozelus, cacumen, cadauer, cadauerosus; *cadetes*, cadiuus; *cadmeus*; *cadmeis*, *cadmea* ſeu Cadmia arx Thebarum, caducus, *cadusi*, *cæcilianus*, *cæcina*, cæcutit, cælamen, cælator, cælatura, *cælestinus*, cælibatus; cæpina, *cæratus* fluuius, *cæretanus*, *cæretum*, *cæretes*, *Cæsaraugustanus*, *cæsarea*, *cæsarodunum*, *cæsarianus*, *cæsena*, *cæsenates*, cæſones, cæſura, cæteroquì & cæteroquin.

CORRIPIVNT penultimam *Cabades* Rex Perſarum, cabala Hebræorum, *cabales*, *cabalis*, caballico, *cabasilas* ſcriptor Græcus, *cabellio* ſeu Cauellio, *cabilo* vrbs, cacabo, cacabus, cacalia, cacaturit, *caccabe*, cachecticus, cachexia, cacochylia, *cacoëxy*, cacologia, cacophaton, cacophonia, cacoſtomachus, cacoſyntheton, cacotechnia, cacozelia, ca-

cula, *cadalus*, *cadomum* seu Cadomus vulgo quasi Caij domus, cacumino, caduceus siue caduceum Latina vox, caducifer, *caducicus*, *cadusij*, *cacias* & *caciacus* ventus, cæcigena vel cæcigenus, *cæcilia*, *cæcilius*, cæcitas, *cæcubum* vinum, *cæculus*, *cæduus*, cælibes, cælites, cælicolæ, cælicus, cælifer, *cælinus*, cælipotens, *cæneus*, *cænopolis*, *cænurgia*, *cæranus*, cæremonia, cærulus, *cæsaras*, *cæsareus*, cæsaries, *cæsaria*, *cæsarion*, *cæsarius*, *cæsaromagus*, cæsius, *cæsonius*, cætera, cæteri & *cætobrix* seu Cætobriga.

CAI. CAL. CAL.

PRODVCVNT penultimam *Caianus*, *caïcus*, *caieta*, *caietanus*, *caimus*, *cainanus*, *cairus* seu Cairum, *caiumas*, *calamina* vrbs & fortè etiam calamita magnes, vt calamitis rana, & calamites gemma, *calagurritanus*, *calanus* vt vulgo plerique docti; calamitosus, *calaritanus*, *calasiris* seu calosiris; calata comitia, *calaurea* seu Calauria vrbs Locrorum, calceamen, calceatus, *calchedon* siue Chalcedon vrbs, calcitiosus, calculator, *calecutum*, *calenus*, Calenum vinum, *calepinus* à Calepio Italiæ oppidulo, *caletes* populi, *caletum* vrbs, caliginosus, caligo nomen & verbum, modò hoc non oriatur à caligis vnde caligatus, calignotus, caliturus, *calimerus*, *callianira*, *callicratea*, *callidemus*, *callidorus*, *callimedes*, *callinicus*, *calliodorus*, *calliopea*, *calliphaëa*, *callithyia*, callosus, *calocerus* seu *calogerus*, quamquam possit esse aliquis dubio locus; *caluinus*, *calybita*.

CORRIPIVNT penultimam *Caiaphas* seu Caiphas; *cainan*, *caiolus*, *caïus*, *calaber*, *calabria*, *calabricus*, *calades*, Calaïs frater Zethi, *calama*, *calamis* sculptor, calamitas, calamus, calantica, *calaphates* si tamen à φημί, aliqui enim producere amant quàm rectè viderint ipsi, *calaris* vrbs, *calaria*, calarhus, *calauria* insula quæ poterit quoque produci, calantica, calcaneum, calcaria, calceolus, calcifraga

herba, calcifragus, *calciope*, calcitro, calculus, calculo nomen & verbum, caldaria, *caledones*, *caledonia* seu Deucaledonia sylua, *caledonius*, calendarium, *calendion*, calefacit & calfacit, *calephates*, calidus, caliga vnde caligo & *caligula*, Calipha, Calippica periodus, *callaicus*, *callais* gemma, Callainus, *calleria* seu Galleria, *calliarus*, *callias* Poëta, calliblepharum, *callichorus*, *callicles*, *callicrates*, *callicratidas*, calliditas, callidus, *callidromus* mons, *calligone*, *callimachus*, *callimedon*, *callinus* & callinus lapis, callionymus piscis, *calliopas* tum Auriga quidam in Anthologia tum Exarchus Italiæ, *calliope*, *callipida*, *callipolis*, *callippides* nanus quidam, *calliroë* vel Callirrhoë, *callisthenes*, *callistratus*, callistruthiæ ficus apud Athenæum, *callisteles*, *callirhoe*, callitrichon, *callitrix*, *callixenes* & *callixenus*, calonymus, calopodion, *calopus*, *calpetius*, *calpetus*, *calphurnia*, caltula, caluaria, caluities, calumnia, *calybe* anus, *calydon*, *calydonius* aper, *calyphon*,

CAM. CAN. CAP.

PRODVCVNT penultimam *Camanes* seu Camaues populi, *camareni*, *camarina* palus, *camarita*, *camaterus*, cambiator, cambuta, *cambylus*, *cambysene*, *cambyses*, *camelianus*, *camelita*, camelinus, camelus, *cameracum* vrbs, cameratus, *camerina*, *camerinus* & *camertinus*, *camerinum* vrbs, caminus, *caminata*, *camiro*, *camirus* vrbs, *camæna*, *camomus*, campana, campanile, *campanus* & *campianus*, canaliculatus, canalis, *cananei*, *cananitis* regio, cancellatim, cancellatus, cancrosum vlcus, candela, candelabrum, candidatus, Canicleum, Caniclinus, canicularis, caninus, cannetum, *canobita*, *canobus* seu *canopus*, *canopeus* adi. canorus, *canotha*, *cantacuzenus*, cantamen, cantator, cantatrix, cantherinus, cantilena, *canusinus*, *canusinatus*, *canutus* Rex Daniæ, *capaneus* adi. capedo, *capellianus*, *capena* porta, *capenas* fluuius, *capeni* luci, caperatus, *capetus*

Hugo Rex dictus, *caphareus* adiectiuum, cuius penultima ab Ouidio licenter correpta fuit, *capharnaitæ*, capillare, capillaris, capillatus, *capistranus*, capistratus, capitalis, capitosus, capitatum porrum, *capitolinus* Iupiter, capnomantia, *capriene*, caprificus, caprile, caprinus, capronæ comæ, Caprotinæ Nonæ, captiosus, captiuo, captiuus, captura, *capuanus*, *capucinus*, capularis, caputiatus.

CORRIPIVNT penultimam *camache*, *camaldula*, *camberiacum* vrbs, camelauchium, camelopardalis, camera, *camerarius*, camerarius, *camere*, *camerius*, camisia, cammarus, campagium, campagus, *campania*, *campesius*, *camphasius*, camphora, camurus, *canaan*, *canabus*, *canace*, *canache* canicula q. *canachus*, canalium, canalicolæ, canaliculus, *canaria* insula, *canagora*, *canathus*, *candauia* regio, cancamum lacryma ligni Arabici, *candace* Regina Æthiopiæ, Cancellarius, candico, candidulus, candidus, *canentelus* corruptè pro Carantonus fluuius apud Aus. canephorus, caniceps, canicula, *canidia* venefica, cannabinus, cannabis, canities, canones, Canonici, canonium, *canopicus* seu Canobicus, *cantaber*, cantabra, *cantabricus*, cantatricula, cantharis, cantharus, cantherius, *cantia* seu Cantium, canticum, cantito, cantiuncula, *cantuaria*, *canusium* vrbs, cantherius seu canthelius, capacitas, *capaneus* fulmine ictus ad Thebas, capero, *capetus* licet quidam refragentur de Hugone Rege Galliæ, *capraria* insula, *caprasius*, *caphareus* substantiuum, *capharides* petræ, *capharnaum*, *capharsalama*, caphora siue caphura, *caphye*, capital, capitaliter, *capito*, capito, *capitolium*, capitilauium, capitium, capisterium, capitulum, capnias, capnobatæ, *cappadocia*, *cappadox* seu Cappadocus, *capparus*, capparis, *capraria* insula apud Rutilium, Caprarius, *caprasius*, capreæ, *caprea* insula, capreolus, *capreolus*, capricornium sydus, caprigenum pecus, capripedes Fauni, capsaces vas olearium apud SS. Cyprianum & Augustinum è Græco, capsarius, capsula, captiuitas, *capua*, capulus, *capucius* siue Capetius Hugo.

CAR. CAR. CAR.

PRODVCVNT penultimam *Carafa*, *cara-*

malus, *caramani* ſeu Carmani, *carbina*, *carbinate*, *Carcaſſona* & Carcaſſo vrbs non Carçaſo, *carchedon* conditor Carthaginis, & ipſa Carthago, carcinodes, carcinetrum herba, carcinoma, *carcinita*, *carcinus* Tragicus quidam Poëta, cardamomum, *cardelus*, *cardiani*, Cardinalis, *carduchi*, carduelis, carduetum, *cardytus*, *careni*, *careota*, *careſus* fluuius, *carilephus*, carina, *carinæ*, *carinas*, carinatus, *carinus*, carioſus, cariturus, *carmanor*, *carmanus*, *carmelis* terra, *carmelita*, *carmelus* mons, *carmentalis* porta, carminator, carnalis, Carneonica, *carnita*, *carnius* Apollo & *carnia* ludi ſaltem ſæpiùs, carnificina, carnoſus, *carnotum* vel *carnutum* vrbs Galliæ, *carnutes* vel Carnuti populi, *carolinus* liber, *caromemphitæ*, *caroſus* & *carauſus*, *carpetani* populi, *carpocratiani* hæretici, *carponas*, carrago, *carrona*, *carronus*, carruca, *carteia* vox triſyllaba, *carthæa*, *carthago*, cartilago, *carthuſiani*, *caryatis*, caryota, caryotis non carioris, *caryſteus* adiectiuum.

Corripivnt penultimam Carabus, caragus, *caralis* vrbs, *carantonus* fluuius Auſonio notus, *carantonius* pons, *caranus* Rex Macedonum primus, carbaſeus, carbaſinus, carbaſus, carbatinæ crepidæ, carbara genus calceamenti, *carbilius*, carbonaria, *carbonaria* ſylua, carbonarius, carbunculo, carbunculus, carcero, *carchedonius*, carcheſium, *carcinades* inſulæ, carcinus id eſt cancer ſaltem apud Poëtas, cardamis herba, cardamum naſturtium, *cardamyle*, *cardea*, cardiacus, cardineus, cardopos arca panaria, carduus, *carſinia*, *caria*, carica, caricea caſa, caricum mancipium, carino Enniana dictio, caritas, *carmania*, *carmanicus*, *carmenion*, carmino, carnarius, *carneades*, carnifex, *carnion* locus quidam libri II. Machabæorum cap. 12. carniſpriuium, carniuorus, *carolus*, *caropeia* ſi diſſoluas, carpaſinus color apij, *carpates* mons, *carpathos* inſula, *carpathium* pelagus, carpeſium, *carpetania*, carpinus arbor, carpio, carpobalſa-

mum, *carpocras* siue *carpocrates*, *carpophorus*, carrocium, *carafoli*, *cartalo*, *cartesia* vt quidem vult Gauantus, *carteia* sicubi dissolutam videas pen. *carthama*, *carthusia*, *carthusiacus*, caruncula, *carusij*, caryatides, caryca intritum quoddam seu conditura, carycinus coloris sanguinei aut edulij specie, caryon, caryopos cinnami genus, caryotides, *carystius*.

CAS. CAT. CAV.

PRODVCVNT penultimam *Casale*, casale, *casates*, casatæ & casati, caseale, *casilium* vrbs, *casimirus*, *casinum*, *casiotis* regio, *caspirus*, *cassandanes*, *cassandrea*, *cassanitæ*, *cassanorus*, *cassianus*, cassidile id est pera vel sacculus rectè dicitur produci ab Andreâ Placo in Lexico Biblico cap. 8. Tobiæ, *cassinas*, *cassinum*, *cassiodorus* Senator, *cassianira*, *cassiopea*, cassita, *cassope*, *cassotis*, castanetum, *castianira*, castigo, *castolus* & *castolona*, castorina vestis vt quidem vulgò, & castoreum, castorinatus, castrametor, castratura, casurus, *catabanes* seu *catabeni* populi Arabiæ, catachresis, Catadupi ad Nilum, *catalani* seu Cathelani, catamane hoc est diluculo in aurora Ezechielis 46. v. 14. Cataceraumenites vinum, catamitus, *catanira*, catapirata, catapirates, catapygis, catarthrosis, catathema, catatyposis, catechesis, catechetes, categorema, cateia teli genus vox trisyllaba, catena, catenatus, cateruatim, *catharina* siue vt Græci scribunt Æcatherina, cathedralis, *catianus*, *catiena*, *catilina*, catinus vel catinum, catochites gemma, *catonianus*, catoptromantia, catapyrites gemma, catorthoma rectè factum, catorthosis, catulinus & Catullinus, *cauconea*, *caucones*, Caudetum, caudicalis, *caudinæ* furcæ seu fauces, cauernosus, cauillator, caulinum vinum, caulodes brassicæ genus, caupona, cauponor, Caurinum

frigus à Cauro, *causalones*, causidicina, cautela, cauteres, cauteriatus, *cantinus*, cautionalis, *caycus*, amnis.

CORRIPIVNT penultimam *Casellius*, caseus, caseolus, casia seu cassia, *casina*, *casius*, *casdoë* vt quidam, *casiope*, *casmylus*, *casperia* vrbs, *casperula* vrbs, *caspiacum* & Caspium mare, *caspiade*, *cassiope*, cassida, *cassitera*, *cassiterides* insulæ à stanno, cassiteris spuma stanni, *castalia*, *castalides*, *castalius*, *castamon*, castaneæ, castauinus, casteria, castificus, castimonia, castitas, *castologi*, *castores* Actorum 28. v. 11. castoreum, castoris, castorium, *castricus*, *castritius*, *castulo* vrbs, *castulus* castula palliolum puellare, casula, catabasis, *catabates*, catabulum seu catabolus, catabole, cataclitæ, cataclisticæ vestes, *catakekaumene* regio quædam siquidem Latino more proferas, catacrisis, catadromus, catagogion, catagraphe delineatio, *catalanicus*, catalecticus, catalogus, catalysis, catamidio, *cataones*, *cataonia* Cappadociæ pars, *cataphryges* vt quidem iunctim nonnulli proferunt, potest enim diuisim enunciari κατὰ φρύγας vt non ignorant eruditi, cataphora, cataplasmata, cataplus, catapotia id est pilulæ, catapucia herba, *catarrhytus*, catascopus, *catana* vel Catine vrbs, catascopium, catastrophe, catecheticus, catechumenus, catenula, cathedra, cathedratitius, cathedraticus, categoria, catenoplium, *catharis* pro Catharina, *cathari* Hæretici, catharticus, Catholicus, cathetus seu demissa linea id est perpendicularis, *catine*, *catia*, *catius*, Catoblepas fera quædam, catoche, catochus, catotonæ catupultæ, *catula*, *catulus*, catulus, *caturiges*, *caturigomagus*, *catylus*, cauædium, *cauares* seu Cauari populi, *caucade*, caucalis olus quoddam, *caucasus*, *caucaseus* seu Caucasius, *caucoliberis*, *cauconiades*, caudicarius, cauea, caueo, cauitas, cauliculus, *caulonia*, *caurta*, causia, causidicus, causticus, cauterium, cautio, *caystrius*.

CEB. CEL. CEN.

PRODVCVNT penultimam *Cebenninus*, *cebrenis*, *cebrenus*, cecidi à cædo, *cecryphalea*, *ceditianus*, *cedrenus*, cedromela, *celadone* vrbs, *celadusa*, *celanens* ab vrbe Celænis, *celano* vna ex

Harpyis, *celerinus*, celetes equi, celliotæ Monachi, cellulani, celonis ſeu celocis à celox, *celtiberi*, Celtopædia, *cenchreus* adiectiuum, cenchrites, *cendebaus*, *cenina*, *ceninus*, *cenomani* vt quidem rectè videtur ſentire Gauantus, quamquam ſæpius vulgóque breuiari ſoleat, cenſitus à cenſio quartæ, vt recenſitus à recenſio, *cenſorinus*, cenſualis, cenſura, *centaureus* adiectiuum & Centaureum herba, ſaltem frequentiùs apud Poëtas, centeni, *centrones*, centumuiratus, centuplicatus, *centuripini* populi, centuriatus, centumuirales.

Corripiunt penultimam *ceadas* apud Spartanos, *ceadus* Rex Ciconum, *cebennici* montes, *cebrenia* pars Troadis, cebriones auis quædam, cecidi à cado, cecini à cano, *cecropia*, *cecropida*, *cecropius*, cedrelate genus quoddam cedri, cedria pix è cedro, cedrides cedri fructus, cedrinus, *celadon*, *celadus*; celeber, celebritas, celebro, *celeneus* ſubſtantiuum, celeripes, celeriter, celero, celerrimus, Celeus κελεὸς non κελεὺς, *celius*, *cellatica*, *celtiber*, *celtiberia*, *celticus*, *cemelium*, *cemmeni* montes, *cenchrea* portus prope Corinthum, *cenchrius*, cenodoxia, *cenomani*, vt vulgo fermè omnes, cenotaphium, cenſeo, Cenſorius, *centauricus*, céntaurium herba, centauromachia, cenſitor & cenſitus à cenſeo ſecundæ declinationis, vt nonnulli haud improbabiliter exiſtimant, quamquam recenſitus à cenſio quartæ penultimam attollat, centenarius, *centenius*, centeſimus, centiceps, centifidus, centimanus, centimeter, centipeda, *centores*, *centronius*, *centula* vel Centulum vrbs à S. Richario dicta, centumgeminus, centuplex, centuplico, centuplum, centuria, Centurio, *centuripa*, *centurupe*.

CEP. CER. CET.

Producunt penultimam cephalea capitis dolor, *cephalene* inſula, *cephaledum* vrbs, *cephalenes* populi, cephenes fucorum fœtus, cephalotes herba, *cepheni*, *cepheis* & *cepheus* adiectiuum. *cephiſodorus*, *cephiſus*, *cephiſis*, cepites, cerachates, *ceramicus*,

ceramicus, locus quidam Athenis, ceratus, *cerathus* seu potiùs *carathus* fluuius, ceratoides tunica, *cerasunteus* adi. *ceramalus* seu Caramalus; *cercasorus*, *cerceis* nympha, cercope insectum quoddam, *cercopes* dolosi, cercopithecus, cercurus nauis quædam; *corcyoneus* adi. cercyros piscis quidam, *cerealis* cerealis, cerebrosus, *ceretani*; ceroma, cerostrotum picturæ genus, cerotum, ceritus seu cerritus quasi cereritus, cerites gemma, certamen, certatim, certator, ceruchus pars mali in naui, ceruical, ceruinus, cerussatus, *cerynia*, *cerynites*, *cesena* seu potiùs Cæsena, cespitator; *cestrinus*, ceteroqui vel cæteroqui, *cethegus*, *cethura* seu deposito spiritu Cetura, cetrati milites, & apud Festum ex Saliari carmine cerusmanus,

Corripiunt penultimam Cephalalgia capitis dolor; *cephalena* insula, cephalica vena, *cephalus*, cephalus piscis; *cephisias*, *cephisius*, *cepheus* substantiuum & *cepheius* adiect. *cephisocles*, *cephisostrates*, *cephisodotus*, *cephisophon*, *cepio*, cerasa, cerasus arbor, *cerasus* vrbs, ceratinus ex cornu; ceratium, *ceraunia*, ceraunobolus, *cerberus*, *cerbereus*, *cercaphus*; *cerceta* vel Cercetij, *cercidas*, *cercyon* vel *cercyones*, cerebrum, ceremoniæ, cereolus, *cerethi* & Phelethi in libris Regum, cereus, cerinus ex cera, cerion vlcus, *cerites* populi & tabulæ, cermatium, cernuus, Ceroferarij, ceromaticus, cerostata, ceruarius lupus, ceruicula, ceruisia, cerylus, *cerynea*, apud quosdam, cespito, *cessero* ad Araurarim in Agathensi diœcesi S. *Tibery*, *cestius*, cetaria, cetarius, *cetronius*, ceteri siue cæteri &c. quibus adde ceryces, id est præcones, in Chronico Latino Eusebij, vbi de Nerone, quamquam vt volueris pro libito, illud enim cremenrum variauit Homerus.

CHA. CHÆ. CHE.

Prodvcvnt penultimam *Chaberis*, *chaberus*, *charemon*, *charonea* vrbs, *chaganus* apud Auares, *chalcedon* vrbs è regione Byzantij, quam

ex veterum nummis *calchedon* ſcribendam docuit R. P. Iacobus Sirmondus in Notis ad Sidonium, *chaganus* apud Auares, *chalcea*, *chalcinus*, chalcites, chalcitis, *chalcitis* inſula, *chalcopratia* ſeu chalcopratea locus CP. chalcophonos, *chaldaus*, *chaici*, *chalonita* populi, *chaluphes*, chamædrys, chamelæ, chamæmelon herba, chamæſelinum, chamæſyce, *chananes*, *characenus*, characometes, charaxatus, *chareaſis*, *chariclides*, *chariclea*, *charidea*, *charidemus*, *charilaus*, *charinus*, *chariſianus*, *charitina*, *charopinus*, *chatramita*, *chattuari*, chelidon hirundo, ſi tamen vox Latinis vſurpata, chemia ex Græco χημεία, quam alij chymiam vocant correptâ penultimâ, *chencheres*, *chephreni*, *chereaſis*, cheopina, *cherubim* & *cherubus* quibuſdam ex Græcis Χερουβεὶμ & Χερούβ, *cherroneſus* ſeu cherſoneſus, *chërſona* vrbs in cherſoneſo Tauricâ, dequâ, vt infinitis aliis multos etiam eruditos ſæpe anxios vidi : imo & in Proſodiâ Bononienſi correpta pronuntiatur penultima : cum tamen apud Cedrenum, Zonaram, alióſque Græcos Scriptores ἡ Χερσὼν in accuſatiuo habeat τὴν Χερσῶνα, vnde apud inferiores Græcos ἡ Χερσώνη & apud Latinos hæc *cherſona* inualuit, ſed hæc obiter: cheruchi pars quædam mali in nauibus.

CORRIPIVNT penultimam *Chabrias*, *chareas* ſeu *charea*, qui Caligulam occidit, *chablaſij*, chærefolium Macro dicitur, quod Græcis χαιρέφυλλον, & à Columellâ detracto altero lambda ob neceſſitatem metricam chærophylum, *charephanes*, *charephilus*, *charephon*, *chareſtratus*, chalazophylax, chalcaſpides. chalcenterus, *chalcedonius* vel Calchedonius, *chalcidius*, *chalcidicus*, *chalciope*, *chalcedon* quamquam fortè etiam produci poſſit, *chalcocratia*, chalcographus, *chalcondylas* ſeu Chalcocondylas Græcus ſcriptor, *chaldai-*

cus, Chalerus, *chalybes* populi, chalybeus, chalybicum aciarium, chalipas ſeu caliphas apud Saracenos, Chamæleo, chamæpirys herba, *chamatype*, chameuniæ humicubationes, apud veteres Chriſtianos, *chanaan*, *chaones* populi, *chaonia*, *charcama*, charadrius, *charadrus* fluuius, *charicles*, chariſtia, *chariſius*, chariras, *charites*, *chariton*, *charmione*, *charmylus*, *charolus*, ſunt enim qui ſic ſcribant, *charopus*, chartophylacion, chartophylax, chartularius, charybdicus, *chaſcara*, *chatrarius*, *chattuarij*, *chauona*, *chaones* populi, chelidonia herba, *chelidonis*, *chelidonius*, chelonia, chelonophagi, chelydrus, chenalopeces, *chenobоſcia*, *cheops*, Cherubicus & *Cherubim* vt vulgo fermè omnes etiam doctiſſimi, Cherſidamas, *cherſonicus*, Cherſydrus, *chertobalus*, *cheſias*.

CHI. CHO. CHR.

P R O D V C V N T penultimam Chilones *chimareus* adiect. ſeu potiùs chimæræus, *chimara*, *Chilpericus* Rex Franciæ, *chimacum*, chiridota tunicæ quædam manicatæ, chiromantia, chirothecæ, chlorites gemma, choaſpites item gemma, cholagoga pharmaca, *choniates* Nicetas Hiſtoricus Græcus ſat cognitus, choragus, chorea, choreus pes metricus, *chorineus*, choroides tunica ſeu plexus, *chozebites*, *chremedon*, *chremetaon*, *chriſtera*, *Chriſtianus*, *chriſtina*, *chriſtinus*, *chriſtodorus* Poëta, *chryſaor*, *chryſeis*, chryſites gemma, chryſoclauæ tabulæ, & veſtes de chryſoclauo chryſognomon, *chryſoloras*, chryſomela aurea mala, *chryſopolus*, *chthonophyle*, *chuteni*, chyloſis apud Medicos.

C O R R I P I V N T penultimam Chilias & in plurali chiliades, *chimera* vrbs Siciliæ, chimerinus id eſt Hibernus apud Martialem, *chimerion*, *chione*, *chionides* Eumolpus, chiragra ſeu cheragra, chiriſophus, *chirocrates* architectus, chirographum, *chironides*, *chironius*, chironomus. chironomia, *chiroſophus*, chirurgia, chirurgicus, chlamydes, *chlorigenes*, chlorion, *choatra*, *chodorlahomor*, *chœrades* inſulæ, & chœ-

rades ſtrophulæ, *choerilus* Poëta quidam ineptus, quem alij minùs rectè Chærilum aut Cherilum ſcribunt, cholera, cholericus, choragium, *chorasmij*, choraulicus, choriambicus, chorobates, chorodidaſcalus, chorographia, chorographus, choroſtates præco chori, *chosroas* Rex Perſarum, chreſimon nota apud Criticos oppoſita obelo, *chresiphon*, chreſtomathiæ, *christiade*, *christicola*, *christigena*, *christipara*, *christolium* ſeu Creſtolium, *christophorus*, chromaticus, *chromius*, *chromius*, chronica, chronographus, chronorrhaphus, chronologia, chronologus, chryſalis, *chrysalus*, chryſanthemis ſeu chryſanthemum herba, *chrysaoris* vrbs. chryſargyrum, chryſaſpides, chryſenderon, *chryserus* ſeu Chryſeros, *chrysidas*, *chrysocephalus*, *chrysocher*, cuius crementum producitur vt hoc obiter moneam, chryſocome flos, *chrysogonus*, chryſolithus, *chrysologus*, *chrysophorus*, *chrysophrys*, *chrysopolis*, chryſopraſus gemma contra quàm multi vitiosè proferunt, chryſopterus, *chrysorrhoas*, *chrysippimus*, *chrysotelus*, *chrysothemis*, chryſoxylon, chymicus, chymia, chytrapus, ſeu chytropus.

CI. CI. CI.

PRODVCVNT penultimam Cibatus, cibicida, *cibotus*, *cibyrates*, cicada, cicatrix, *ciceropianus*, cichorea ſaltem vulgò ſic penè omnes ex Horatio, cicindela, cicindile, ciconinus, cicuratus, cicuta, *cieni* ſiue Ciani, *cimolus*, *cimolis*, cinctutus, ciniflones, cinnamomum, cinyra ſeu cinnyra ſi quidem Gretſero fides, *cinyreus* adiectiuum vt etiam *circeus*, *ciperus*, *circea*, circulator, circulatrix lingua, circumcido, circumludo, circumquaque, circumſcribo, *cirinus*, *cisseis* ſeu Ciſſæis Hecuba, *cisalpinus*, *cisrhenanus* & ſimilia, ciſterninæ aquæ apud Senecam Ep. 86. Citæa ſeu Citea vrbs Colchidis, vnde *citais* Medea & *citaini* cantus, citatim, citatus, citharœdus, *citharon* mons, citharizo, *cithelas*, *citonatus*, citrago, citroſa veſtis, ciuilis.

Corripivnt penultimam *Cibale*, cibaria, cibium, ciborium, *cibyra*, *cibyraticus*, cicendula, cicera, cicerbita, cicercula, cicerinus, *cicero*, cichorium, cicindula, cicinum oleum, *cicones* populi, ciconia, cicuro, cicuticen, cidaris, *cilicis*, *cilices*, cilicinus neque enim à Cilicibus ἀμέσως formatur, sed à cilicio vt norunt eruditi, imperitos enim non moror, cilicium, *cilnius*, cilium, *cillion*, *cillica* seu cillicas & *cillicon*, *cilnius*, *cimbricus*, cimices, *cimmerii*, *ciminus* lacus, *cimolia* terra, cinædicus, cinara, cincticulus, *cineas*, cineralia, *cinesias*, Cingari errones, cingula seu cingulum, cinislo, cinnabari, cinnamum, *cinnamus*, *cinyphius* cinyra seu cinnyra saltem apud S. Gregorium Nazianzenum, aliter enim Grammatici, quare vt volueris, *cinyras* & ab eo *cinyreius* adiectiuum, cionia herba, circino, circinus, circiter, circites, circitor, Circellio, *circius* ventus, circuitus, circulus circumago, circumdare, circumdatus, circumeo, circumforaneus, circumlino, circumpedes, circumsono, circumspicit, circumuolo, *cirinius*, cirnea, cisium, *cissamum*, *cistercium*, cistifer, cistophorus, cistula, citeria, *citharoniades* Musæ, cithara, citharistia, citimus, *citium* vrbs, citreus, citrinus, ciuicus, ciuiliter, ciuitas.

CL. CL. CL.

Prodvcvnt penultimam Clamosus, clandestinus, *claranus*, clathratus, clauator, *clauatum* Lugdunum siue Laudunum, *claudianus*, *clementinus*, *cleanor*, *cleantheus* adiectiuum, *cleobulina*, *cleobulus*, *cleodora*, *cleolaus*, *cleomedes*, *cleonæ* oppidum, *cleonæus*, *cleonicus*, clericatus, *cletabeni* populi, *clidemus* scriptor, cliduchus, clientela, climacteres, clinamen Lucretio, clitellatus, *clitodemus*, cliuosus, cloaca, *cloacina* dea, *chlodomeres* seu chlodomirus, *clodoueus*, *clusinus* à clusio oppido, *cluuienus*, *clymeneis* & *clymenæus* adiectiu. clypeatus, *clytemnæstra*, *clytoneus* adiect. cneorus herba quædam.

Corripivnt penultimam clamito, clanculariis Poëta, clanculum, *clanius* fluuius, clarifico, clarigo bellum

indico, clarisonus, *clarius* Apollo, classicum, classicus, *claestidium*, claudico, *claudiopolis*, clauicula, clauiculus, clauiger, clausula, *clazomenæ*, *clazomenius* saltem sæpius, *cleadas*, *cleandrides*, clematis herba, *cleobis*, *cleocrates*, *cleocritus*, *cleobulicus*, *cleodamas*, *cleogenes*, *cleomachus*, *cleombrotus*, *cleomenes*, *cleonymus*, *cleopatra*, *cleophanes*, *cleophas*, *cleophon*, *cleoptolemus*, *cleoras*, *cleostratus*, *cleoxenus*, clenodistice ars, clenodium, clepsydra, Clericus, cleruchia siue sortitio cananitidis, clibanus, climactericus, *climacus*, climacis Vitruuio, clinedium lectulus. *cliniades*, *clinias*, clinicus medicus, *clinomachus*, clinopale, *clinopale*, clinopodium, *clipiacum*, *clisophus*, *clisthenes*, *clitomachus*, *clitorius* fons, *clitoris* vrbs, *clinia*, *cliniades*, *clodius*, *cloelia*, *clouius*, clueo, *cluniacum*, *clupea* vrbs, clusilis, *clusium*, *clunia*, *clymene*, *clymerion*, clypeus, *clypea* vel clupea vrbs, clysterium, *clytie*, *clytius*, quibus adde Cnapheus seu Gnapheus, id est Fullo cognomen Petri cuiusdam Hæretici Antiocheni Episcopi, necnon cnicinus siue cnidinus, & *cnidius* siue Gnidius.

COA. COC. COL.

PRODVCVNT penultimam coæqualis, coagulatus, coaxatus ranarum, coaxo, coccinatus, coccyges id est cuculi, coccymela, cocetum, cochleare, cochlides speciem habens cochleæ vt cætera ab εἶδος deriuata, coctiuus, *cocytis* vnda, *cocytus* fluuius inferorum, *codinus* scriptor, coëgi, cœnator, cœnobitæ, cœnomyia, *cœsira*, cogermani id est patrueles, cognatus, cognomen, cognoui, cohæres, coiturus, colaphizo, *coleta*, *coletus*, *colinus*, collabesio, collabor, collaboro, collare, collateralis, *collatinus*, collatiuus venter, collaturus, collatus, collega, collegi, collibo, collido, collimo, *collina* porta, *collinus*, colliquefio, collisus, collistruthis herba, colludo, collusor, *colluthus*, colluuiaris, collyra & collyris id est torta panis, *colone* & *colonea* seu Colonia vrbs Asiæ, colonus, coloratus, coloro, *colosseum*, *colous* locus quidam,

colotes lacerti genus, colubrinus, *columbanus*, columbatim, columbinus, columnaris, columnatus, coluri circuli in Sphæra, *coluthus*.

Corripiunt penultimam coædifico, coagulum, coalitus à coalesco, Coanum, cobius seu gobius, *cocabe*, *cocalus* Rex Siciliæ, *cocalides*, coccineus, coccinus, cochlea, coctanum seu coctonum, coctilis, coctito, coculum, *cocytius*, codicariæ naues, *codridæ*, cæliacus morbus, *cælesyria* regio, coëmo, cœmeterium, cœnaculum, cœnatio, cœnaturit, cœnipera, cœnobium, *cœranus*, coërceo, coërcitus, *cæsyra* cogito, cognatio, cognitior, cognitus, cognomino, cohæreo, cohibet, cohibitus, coinquino, coitus & *coitus* arx ad confluentem Mincij & Padi, auctore Mantuano, colaces id est adulatores, colaphus, *colapis* fluuius, *colchicus* & *colchiacus*, *colias*, colicus, coliculus, coliphium, collachrymor, collactaneus, *collatia* vrbs, collegium, collibitum, colliciæ, colliculus, colligo primæ & tertiæ, collineo, collino, colliquefacit, colliquiæ, collitus, colloco, colloquium, colloquor, collutulo, colluuies, collybus, collyrida in nominandi casu pro collyris, collyrium, colobium, colocynthides in plurali, colocasia, colonica, *colonacum* oppidum, *colonia* Agrippina & multæ similes coloniæ Romanæ, colonicus, *colonides*, *colophon* vrbs, vnde *colophonius* seu *colophoniacus*, colophon, coluber, colubra, columbulus, columen, columis, coluthea, *colybrasum* vrbs, colymbades oliuæ.

COM.. COM. COM.

CORRIPIVNT penultimam *Ioachaz*, *ioachim*, *ioatham*, *iochabeth*, *ioiadas*, *iola* pro Iolaus, *ἰόλας*, *iole* Herculis vxor, *iolciacus* ab oppido Theſſaliæ, *ionatham*, *ionathas*, *ionia*, *ionicus*, *ionides*, *ionius* quocumque ſenſu accipiatur, nam eſto in prioribus ſyllabis latum ſit diſcrimen, in pronuntiatione tamen nullum eſt, *iope* vrbs quæ in ſacris literis ſæpius geminata conſonante ſcribitur Ioppe. *ioſaphat*, *ioſedech*, *ioſias*, *iotape* & *iotapata* vrbes, *iphias*, *iphiclus* ſiue Iphicles, *iphicrates*, *iphidamas*, *iphinoë*, *iphinous*, *iphitides*, *iphition*, *iphitus* ſaltem apud Latinos Poëtas, ipſiſſimus, ipſullices, *irenicus*, *irenion* Epiſcopus, *ireſia*, irinum vnguentum, itonicus, irredux, irremeabilis, irreparabilis, irrigo, irriguus, irritus & inde deductum a Canoniſtis & recentioribus Iuriſperitis verbum irrito, irrogo, irrutilo, irriola vitis.

IS. IT. IV.

PRODVCVNT penultimam *Iſaacus*, *Iſæus*, iſagoge, *iſapis* fluuius, *iſchariotes* Iudas proditor, *iſchyras* ſchiſmaticus ille Ægyptius, de quo Baronius ad annum Chriſti 328. & conſequentes, *iſeum* vrbs Ægypti, *iſidorus*, Iſmaëlitæ, *iſmene* Oedipi filia, *iſmenus* fluuius, *iſmenis* regio, iſocolon figura, *iſraëlita*, *iſſedon* vrbs, *iſſodorum* ſeu potiùs Iciodorum vrbs Aruerniæ, *iſtone* mons, iſtius, vt illius &c. itáque cùm ſignificat & ita, *ithobalus*, *ithomatas* Iupiter, *ithome* mons, *ithomus*, ithona, *itonus*, *ityræi* ſeu Ituræi populi, iturus, iubatus leo, iubilæus vel Iobeleus, *iubinus*, *iucundinus* Martyr 21. Iulij, *iudæa*, *iudæus*, iudicialis, *iuditha*, iugalis, iugoſus, *iugurthinum* bellum, *iulianus*, *iüleus* adiectiuum, *iuliabona*, *iuliodunum* & *iuliodurum* vrbes, *iulus* vox triſyllaba, iuncoſus, iuncetum, iunices à iunix, Iunonalis, iunctura, *iurana* Burgundia, iuridicina, *iuſtinianus*, *iuſtinianea*

prima, *iustina*, *iustinus*, iuturus, iuuamen, *iuuenalis*, iuuenilis, *iuuentinus* 25. Ianuarij, *ixion* Thessalus Poëtis sat notus, nam ixion vocem aliàs mihi ignotam, Andreas Placus, Cornelius à Lapide, aliique auem esse dicunt è vulturum genere, quàm in vulgato Interprete leges capite 14. Deuteronomij versu 13. corripiendam omnino censeo, *izates* filius Helenæ Adiabenorum Reginæ apud Iosephum libro 10.

CORRIPIVNT penultimam *Isaac*, *isacidæ* id est Iudæi, isagogicon, *isagoras*, *isaias* seu Esaias Propheta, *isai* siue Iesse, *isaides* Dauid, *isara* & *isura* fluuius, isaris herba, *isauria* regio, *isauricus* cognomen Leonis Cononis Iconomachi Imperatoris, *Ishboseth*, *ischarioth*, *ischariothicus*, *ischia* insula, ischias, ischiacus siue ischiadicus, ischium, *ischomache*, *ischyrion*, *isiacus*, *isidius*, *isiphilus*, *ismaël*, *ismarius*, *ismarus* mons, *ismenias* tibicen, *ismenides*, *ismenius*, *ismeria* mulier, *isocrates* Orator, *isocratica* dictio, isodomon, isonomia, isopyrum, *israël*, *israëliticus*, *issachar*, *issedones* populi, *istiacus*, *isticia*, *istæuones* seu Istæuones populi, *isthmia* ludi, *isthmicus*, *isthmiacus* & *isthmius*, *istria* *istricus*, *italia*, *italicus*, *italides*, Italicè, *italus*, *italica* vrbs Hispaniæ vnde Silius dictus perhibetur Italicus, itaque coniunctio, *itea* vrbs, iterum, itero, *ithaca* insula, *ithacesius* Vlysses, *ithobalus* vt quidam censent, itidem, itiner apud Lucretium, Manilium, alios, itinerarium, *itylus* siue Itys, *itymoneum*, iubilo iubilum siue iubilus, *iudaicus*, *iudicaël* iudico, *iuernia* insula, iugerum, iugirer, *iugula* hyades, iugulo, iugulus, *iulia*, *iuliacum* vrbs, *iuliades*, *iuliobriga*, *iuliola* & *iuliomagus* necnon *Iuliopolis* vrbes, iuncinus, iuniculus, iuniperus, iuniperinus, iunior, *iunonia* odia, *iunonicolæ* Falisci, *iunonigena* Vulcanus, *iupiter* seu iuuans pater, iurabilis, iuridicus, iustifico, *iustinopolis*, iustitia, iustitium, iuuencula, iuuenis, iuueniliter, iuuenor, ixia herba, *ixioneus* axis & ixionides Pirithous.



LA. LA. LA.

PRODVCVNT penultimam *Labanis* Rachel à patre Labano ſic dicta, *labeates*, *labeatis* palus, labefeci, *laberus*, labandago, *labicana* ſeu Lauicana via, *labici* populi, *labicum* vrbs, *labienus* dux Cæſaris, *laborini* campi, laborioſus, laboro, *laboroſoarchodus*, laborum vexillum pro Labarum, *labotas* fluuius, *labynetus* Nitocridis filius, *labyrintheus* adiectiuum, laccopluti, *lacana*, *lacedamon* & *lacerea* vrbes, laceratus, lacernatus, lacertoſus, laceſſitus, lachanopola, lachanopolis, laciniatim, lacinioſus, *lacones* populi, lacrymoſus, *lactora* vrbs vt quidam non ſecus ac *lactorates* populi, lactuca, lacuna, lacunatus, lacunar, *lacydes* Philoſophus, *ladiſlaus* Rex, *leſtrygon* corruptè Leſtrigon, lætamen, læſurus, lætatus, *leuina*, *leuinus*, *lageus* id eſt Ægyptius à Lago patre Ptolemæi, lagena, lageos vuæ genus, *laginia* Bithyniæ vrbs, lagois, lagopus, *lairus*, *laletana* ſapa.

CORRIPIVNT penultimam Labarum vexillum, quòd multi Græci & nonnulli Latini λάβωρον vocant, *labata* vrbs, *lábbeus* auctoris huiuſce Opuſculi nomen, cùm Latinè ſcribitur, non verò *labbéus* aut *labbæus*, cuius rei diſcrimen benè norunt Galli noſtrates pendere ex pronuntiatione ſecundæ vocalis E, quæ in fine quarumdam dictionum ſpiſſius ſonat, in aliis verò delicatiùs, ignotâ pleriſque exteris hominibus duplici illâ vnius eiuſdemque vocalis prolatione, *labdacus* Rex Thebarum, *labdacides* Laius, labefacit, labecula, *labeo*, *laberius*, labilis, labia, *labecla*, *laborsæ*, laborifer, *labyrinthiacus*, *lacedamones*, *lacedamonicus*, lacero, laceſſitur, *laceſtades*, *lachanus*, lachanum olus, *lachares*, *lacheſis*

ona à Parcis, *laciada*, *lacinium*, *laconica*, *laconicus*, lacotomus, *lacobriga* vrbs, *lacrates*, lacryma, lacrymabilis, lacrymo seu lacrymor, lacteolus, *lactantius*, lactito, *lactora* vrbs Nouempopulaniæ, quàm tamen produxit Iulius Scaliger in Acta v. 1645. lactucula, ladanum, *ladocus*, *ladromus*, *laertiade*. & Laertius Vlysses, læmargia ingluuies, læmomacellium, *læsion* vrbs, *læstrygones*, lætabilis, lætifico, læuigo, læuitas, laganum, lagari id est claudi versus, *lagaria* vrbs Siciliæ, *lagida* siue Lagides Ptolemæus filius Lagi, *laginia* vrbs Cariæ, lagobolum & lagobolium, *lagoras*, laguncula, Laïcus, *laius* Rex Thebarum, *lalage* mulier, *lalesanus* regio Hispaniæ, lalisio onagri pullus apud Martialem.

LA. LA. LA.

PRODVCVNT penultimam *Lambeca*, *Lambese* vrbs, *lamirus* Herculis filius, *lampedon* Spartana mulier, *lamperia* & *lamponea* vrbes, *lampia* regio, *lamprides*, *lampsacenus*, lanatus, *lancillotus*, *landelinus*, *landericus* seu Landricus, *langia* fons, laniena, *lanicetus*, lanosus, lanugo, *lannuinus*, *laodamia*, *laodicea* & *laodamantea* vrbes, *laomedonteus* adiectiuum, *laonicus* seu Nicolaus, *lapethus* vrbs Cypri, lapicidæ, lapidicina seu lapicidina, lapidosus, *lapitheus* adiect. lappago, laqueatus, largitor, largitus, *larides* filius Larei, *larina* virgo, *larinates* populi, *larinum* vrbs, *larissæus*, larualis, laruatus, lasciuit, lasciuus, lassitudo, *lasthenia* Platonis discipula, latebrosus, lateralis, lateramen, *lateranus* vnde Lateranæ ædes, *lathurus* Ptolemæus, Græcè enim sæpiùs per diphthongum in penultima scribitur, vt docent Exercitationes Plinianæ in Solinum, *latialis*, *latiaris*, *latinus* Rex, *latini* populi, latitudo, *latona*, *latonis* seu *latois* Diana, *latorea*, *latous* adiect. latrator, latria, latrina, Latrocinalis Synodus, laturus à fero, lauacrum, lauatrina, lauaturus, laudator,

lauduinus, laudunum, lauinus, launomarus, laureotis herba dicta cinerula, *lauretum* & *lauretana* Virgo, lauretum locus lauris consitus, *laurium, lausana* seu Lausanum vrbs, & Lazarium in Lausiaca Palladii Historiâ: sic Lazaria quæ passim dicuntur leprosariæ.

CORRIPIVNT penultimam *Lamachus, lamedon,* lamentabilis, *lamethiades* Noemus, *lamia, lamiæ, lamiacus* sinus, lamina, *lamirus* quidam nono Æneidos, lampada pro lampas apud sequioris æui Scriptores, vt innumera eiusdem formæ passim attentata, *lampadium, lampares, lampete* necnon *lampetie* vna è sororibus Phaëtontis, *lampichus* apud Luc. *lamprias* Plutarchi filius, *lampridius* Historicus, *lamprocles, lampsacus* vrbs, *lampsacius*, lampsana herba, lampyrides & in singulari lampyris, sic enim rectè Palingenius, necquiquam producente Ioanne Baptistâ Mantuano, qui in plerisque à Prosôdicis legibus aberrauit, *lamyra* vrbs, lamyri pisces, lanarius, *landericiacum* seu *landeriacum* vrbs, lancino, lanifica, *langobardicus*, laniger, lanio, lanius, languidus, languificus, lanifica, *lanuuium* vrbs, *laocoon, laodamas, laodice, laodocus, laomedon* Rex Troiæ, *laomedontiades* Priamus, *laomedontius* & *laomedontiacus, laosthenes*, lapathum herba, lapido, *lapithæ* populi Thessaliæ qui cum Centauris pugnarunt, laquear, laqueus, largiter, laridum, laricinus, larigena, *larius* lacus Italiæ, *laronia* mulier, *lartius*, laryngotomia, lasanum, lasanophorus, *lascaris*, lasciuia, laserpicium, laserpiciferæ Cyrenæ, *lasia*, *lasion* vrbs, *lasthenes* Machab lib. 2. cap. 11. *latagus*, latebræ, latero, lathyris herba & fortè *lathyrus* Ptolomæus Rex Ægypti, vt Magni quoque Viri autumant, latibulum, *latiniacum* vrbs, Latinitas, *latinius*, latito, *latium, latius, latmius* Endymion, *latobriges* seu Latobrigi populi, Latomiæ seu Latumiæ Syracusis, latomus, *latonigena* Apollo, *latonius, latoïdes*, latrocinor, latusculum, *laubia* locus in Belgio, laudabilis, lauendula herba, & Lauernicola S. Franciscus Assisias pro Aluernicola, lauernio à lauerna latronum Dea, *lauinia* filia Latini Regis, *lauinium* vrbs, *launomarus* Abbas vt vulgò, Docti enim plerique vt iam monnimus, producunt similia è barbaris profecta vocabulis, laureola, *laureolus* latro, *lauretricum* templum,

lautea virga, *laursacum* vrbs, lauricomus, lauriger, lautinus siue laureus, *lausfera* siue Lolera mons, *lausiaca* Historia, lautia loca, xenia, siue munera, aut quid aliud legatis præstari solitum apud Romanos, *Lazarus*.

LE. LE. LE.

PRODVCVNT penultimam *Leandreus* & *learcheus* adiectiua, *lebadia* vrbs Bœotiæ, leberis, lebetes, *lebona* vrbs, lecanomantia, *lecapinus*, *lecheus* seu lechæus adiect. lectica, *ledaus*, legalis, legatus, legislator, legumen, *lelegeus* adiect. *lemanus* lacus, *lemonum* seu Limonum vrbs Galliæ, lemosus, *lemouices*, *lemouica* & *lemouici*, vt & alia nostro ductu, *lenaus* Bacchus, lenimen, lenitus, lentigo, *lentinus*, *lentini* populi, *lentulinus*, *leobinus*, *leobotes*, *leocata* seu Leucata vrbs, *leocydes*, *leodicum* vrbs vt quidam, *leonatus* de quo infrà, *leonas*, *leonica* vrbs, vnde *leoniceni*, *leonicus*, leoninus, *leonora*, *leontinus*, *leoninus* seu leobinus, *leptinæ* seu Liptinæ, lepidotes gemma, *lepinus* mons, leporinus, *lepreates*, leprosus, leptorages vuæ, *lerina* seu Lerinus insula, *lernaus*, *lesboum* barbyton, letania, vt malè qq. scribunt, lethalis, *lethaus*, *lethedon* fons, *leuaci* populi, leuamen, *leuana* Dea, *leucata* vrbs, leucachates gemma, *leucates* promontorium, leucochrysos gemma, *leucogei* colles Campaniæ, leucoma, *leuconis* lacus, leucophæatus, *leucophryne* Diana apud Miletum, *leucotichos*, *leudomirus*, *leuinus*, *leuita*, leuiton quoddam vestis genus, *leutfridus* seu leufridus, *leuthericus*, *leuninn*, *lenninus*, *lexanor*.

CORRIPIVNT penultimam *leagoras*, *leagras*, *Leandrius* Hellespontus, *lebedus* vrbs, lebetides, *lecania*, *lechæa* portus Corinthi, lecticariolus, lectisternia, lectito, *lectorium*,

lecythus, *legia* vrbs & fluuius Belgicæ, legicrepus, legifer, legio, legionarij, legitimus, legirupa seu legirupus Prudentio, leguleius, legulus, *leitus, leleges* populi, *lemniaca* catenæ, *lemniades, lemouix* seu Lemouicus, Lemonicæ & Lemouicum vt vulgò, *lemures, lemuria,* lenobaies, lenociné, lenocinor, lenicula, lentiscifer, lentiscinus, lentities, *lentulus*, lenunculus, *leobonus*, *leocadia* Martyr, & *leocadius* Senator de stirpe Vectij Epagathi Martyris, *leochares* Statuarius, *leocrates, leocritus, leodamas, leodium* & vulgò etiam Leodicum, *leodocus, leogisolus, leonatus* seu Leonnatus vnus è Ducibus Alexandri Magni, quamquam de hac voce ampliùs cogitandum cum eruditis viris existimem, *leonidas* & Leonides, *leontodame* Nympha, *leontiades, leontius*, leontopetalum, leontophonum, *leonymus, leophron, leoprepes leosthenes, leostratus, leotychides*, lepidion, *lepidus* Triumuir, lepidus, *lepontia* Alpes, *leponticus, lepontium*, leprium, leprosaria, *leptines* Orator Atheniensis, quamquam multi producendum edicant, lepusculus, *lernifer, lesbiacus* siue Lesbicus, *lesbiades* fœminæ seu Lesbides, *lesora* mons, *lesura* fluuius, lethargia, lethargicus, lethifer, *leucadia, leucadius*, leucanthemis herba, *leuceas, leucippides*, leucoion, *leuconicus* à Leucone, *leuconoë, leuconotus, leucopetra, leucophrys, leucopolis, leucosia* seu Leucasia insula, *leucosyri, leucotetta, leucothea, leucothoe, leuiathan, Leuctrica* pugna, *leuiadæ* seu Leuigenæ id est Leuitæ, leuiricus, leuigo pro læuigo, leuitas, leniter, leuitonarium, leunculus, *leuthares, leotychides, lexouium* & *lexouij*, quibus addendus ni fallor ridiculus Basilidianorum Gnosticorum Leusiboras, de quo S. Hieronymus.

LI. LI. LI.

PRODVCVNT penultimam libamen, libanomantia, libanotis, liberalis, libertinus, *libethra* fons, libidinosus, libido, *libitina, libosus* Episcopus, libramen, librile scapus libræ, *libyphœnices, libyssinus*, lichenes sordidi, *lichudes, licinianus, liduuina*, lienosus, ligamen, *ligea* Nympha, *ligerinus* seu Ligerittus fluuius in ligerim influens, lignile, ligulatus, *Ligurina* Alpes, *Ligurinus* Poëta, ligurit, *Lilea* vrbs, liliatus, lilietum, *Liliosa* Martyr,

Martyr, *lilybæum*, limatus, *limentinus*, *limniota*, *limnochira* vrbs, *limonæ* Nympha, *limonum* vrbs Galliæ, limosus, limpitudo, linguatus, lingulaca, linteamen, *liparæus* adiect. lippitudo, *liptinæ* seu leptinæ, vbi Concilium celebratum, liquamen, liquatus, liquefio, liratim persultas, *lirinus* seu Lerinus insula, *lisuinus*, litamen, litania seu litanea, literatim, literator, literatura, literatus, lithostrotos, si tamen Latino more scribas proferásque, nam plerique omnes vt Græcam vocem accentu in antepenultima collocato pronunciant, litigiosus, littoralis, litura, *linianus*, lixiuus.

Corripivnt penultimam *libanius*, *libanotus*, *libanus* mons, *libana* cedrus, *libanum*, libellatici, libellio, liberalitas, libero, *libethrides* Musæ, libidinor, libitum, libraria supellex, libripens, liburnica nauis, *libya*, *libycus*, licentia, *licentius*, *lichades* insulæ, lichanus, *licinius*, licitor, licitus, lienteria, lientericus, *ligarius*, *ligeris* fluuius Galliæ aliter tamen si Strabonem sequare, *ligerius*, ligneolus, lignipedes, ligula, *ligures*, *liguria*, *ligurricus* & *ligusticus*, liliger, *libye*, *lilybeius* adiectiuum, limito, *limnocharis* rana, *limoniades* Nymphæ, limonium, *limpidius*, limpidus, linea, lineus, *lingones*, *lingonicus*, lingula, linifer, *linæ* vrbs, linostima palla, linteolum, *liuba* Virgo, *lipara* seu Lipare insula, *liparis*, *lipomanus* Aloysius, lipopsychia, lipothymia, lipsanum liquabilis, liquefacit, liquefit, *liquentius* fluuius, liquidus, lirinum vnguentum, *liriope* Nympha, *lisbius*, *lisoius*, litaneuticon Serrarij, literula, lithargyrus, lithoglyphus, lithotomia, liticen, litigo, litera vel littera, *litteus*, littoreus, liturgia, liturgicus, *liuia*, liuidus, *liuius*, lixiuium,

LO. LO. LV.

Prodvcvnt penultimam *Lobetum* vrbs, locator, locupleto, locutus vel loquutus, *lodeua* seu Lutaua aut Luteua vrbs Galliæ, *lodoicus* seu Ludouicus, *lodoiceus* adiectiuum, logeum seu logium, id est rationale summi apud Iudæos Ponti-

ficis, & pulpitum in theatris, aut ſuggeſtum in tribunalibus, logogriphus, logomimus, loligo, lonchitis herba, *londinum* vrbs Angliæ, *longarenus*, *longinus*, longitudo, *longone* vrbs, *lopaduſa* vrbs, loquela, loquelaris præpoſitio re, lorica, loricatus, *lotharenus*, loturus, *loyola*, *loyoleus*, *loyolita* id eſt Ieſuitæ Patres Societatis I E S V, *lubeca* vrbs, Lubido, *lucanus*, *lucani* populi, lucernalis, *lucina*, *lucinus*, lucratiuus, *lucrinus* lacus, luctamen, *lucullanus*, *ludgerus* Epiſcopus, *Ludouicus*, luela ſceleris Lucretio, *lugdunum* ſeu Lugdunus vrbs, *lugdunitis*, luiturus, lumbago, lumbare, lumbricus, luminare, Lunaris, lunatæ peltæ, lupanar, lupatum, *lupicinus* Epiſcopus, lupinus adiectiuum & ſubſtantiuum, *lupodunum* vrbs, luſcioſus, *luſitanus*, luſtralis, luſtramen, *lutaua* ſeu Luteua, lutatus amomis Perſio, luxurioſus.

CORRIPIVNT penultimam locarius, locito, loculus, locuples, locuruleius, lodicula, *logica*, *logicus*, logiſtice, logodædalia, logodædalus, logographus, logotheta, loliaceus, longanimis vel longanimus, Longimanus *μακρόχειρ* Artaxerxis epitheton, longipes, longiter, *longobardia* ſeu Lombardia, *longobardicus*, *londonia* vrbs, longulus, longurio, lopades conchæ, *lopadium* vrbs, loquacitas, loquaciter, loquaculus, loquuuleius, loreus, loricula, lorigeri, loripes, *lotharingia*, *lotharingicus*, *lotharius*, *lotigena* puellæ, lotio, lotium, *lotophagi* populi, *louanium* vrbs, *loyoliticus*, *loxias* Apollo, lubentia, lubrico, lubricus, lubitum, *lucagus*, *lucania* regio, lucanica, *luceres*, *luceria* vrbs, *lucetius*, luciſator, lucidus, *lucifer*, lucifuga, *lucilius*, *luciolus*, *lucius* & *lucia*, (quâ in voce inſigniter Gauantus aliique exteri homines peccant: quidni enim ſimilem illi tonum aſſignent cum Cæcilia, Anaſtaſia, Lucretia, aliiſque eiuſdem formæ Latinis Græciſue fœmininis? aut quodnam tandem, amabo, errori tam aperto patrocinium quærent?) *lucomedius*, *lucretilis* mons, *lucretius* & *lucretia*, lucrio, luctificabilis, luctifi-

cus, lucubro, *lucumo*, lucunculi genus edulij, ludibria, ludicra, ludificor, ludius & ludia, lugubris, lugubriter, lunaticus, lunigenæ menſes, Lunula, *lupara*, *luperculus*, lupulus, luridus, *luſones* populi, luſcinia, *luſitania* prouincia, *luſitanicus*, *luſones* in Luſitaniâ, luſtricus, *lutatius*, luteolus, *Lutetia* vrbs olim etiam Leucotetia ex Strabone, *luxouium* S. Columbani cœnobium.

LY. LY. LY.

PRODVCVNT penultimam *Lyæus* Bacchus, *lycabetus* mons Atticæ, *lycæus* ſeu lyceus mons Arcadiæ, *lybotus* ex quorumdam ſententiâ, *lycambeus* adiectiuum, lycanthropi, *lycaon* Rex Arcadiæ, *lyceum* gymnaſium Athenis celeberrimum, *lyceus*, *lycetus*, lychnites gemma, lychnuchus lucernam ſuſtinens, *lycinus*, *lycomedes*, *lycone* vrbs Thraciæ, *lycopes* vrbs, *lycoras*, *lycorea* vrbs, *lycorides* à Lycoreo, *lycoris* Galli Poëtæ, *lycoſora* vel Lycoſura vrbs Arcadiæ, *lycotas*, *lycozea* vrbs, *lycurgeus* adiect. *lycurgides*, *lycymnia*, lymphatus, *lynceus* adiectiuum à Lynceo Idæ fratre, vnde etiam *lyncidæ*, *lyrcea* ſeu Lyrcia vrbs, *lyrceus* fons, *lyſimachia* ciuitas & lyſimachia herba, vt quibuſdam magis arridet, *lyſimelia* palus, *lyſippea* tabellæ.

CORRIPIVNT penultimam *lycaones* populi, *lycaonia* regio, lycanthropia, lycanthropicus, *lyceas*, *lycia* regio, *lycidas* paſtor, *lycimnia* & *lycinna* mulieres, lychnobius, *lycoa* vrbs, lycoctonum, *lycolas*, *lycophron* Poëta, *lycopolis* vrbs, *lycoreus* ſubſtantiuum, ſi penultimam vt fieri amat, ſoluas, *lycurgiades*, *lydia* mulier & regio, *lydiades*, *lygdamus* Olympionica, lygdinus lapis, *lymire*, lymphaticus, *lynceas*, lynceus à lynce ferâ, vnde lyncei oculi, lyncurium gemma, lyricen, lyricus, *lyrneſsius* à Lyrneſſo oppido, *lyrope*, *lyſandricas*, *lyſanias*, *lyſiades*, *lyſianax*, *lyſias*, *lyſicrates*, *lyſicles*, *lyſidice*, *lyſimachus*, *lyſimachides*, lyſimachia herba, & *lyſimachia* ciuitas Thraciæ, de quibus plura diximus in Analectis, quæ tu per ocium conſulas velim, *lyſinoe*, *lyſippica* tabula, *lyſiſtrata* & *lyſiſtratus*.



MAB. MAG. MAL.

PRODVCVNT penultimam *Mabodes*, *macareis* Isse, *maceda* vrbs in libro Iosue, *maceloth* Numerorum 33. *macerata* vrbs, *macezer*, *machabeus*, machæra, *macharus* vrbs dicta Manahain, *machaon* Medicus, *machatas*, *machutes* Episcopus siue Machutus qui vulgò Maclouius, machinator, *macrena*, *macrinus* & *macrina*, *macroducas*, *macrones* populi, macrocolum, quod Vossius scribendum autumat geminatâ liquidâ, & ἀπὸ τῶ κωλλᾶν deriuat, *macrontichos* vrbs, *macropogones* populi, maculosus, *macynea* vrbs, *madianita* populi, madarosis, madefeci, *madianita*, *madritum* vrbs, *mæcenas* seu Mecænas, *mæotis* palus, mæotrum præmium obstetricationis, *magalona* vrbs & insula, magale, si tamen reperitur in numero singulari, *magdalena*, *magdolus* castellum, *magdalucus*, *magdolitæ*, *magdunum* vrbs, magia, *magina*, *maginus*, magirus id est coquus, magistratus, magnale, magnates, *magnericus*, *magnetes* populi, magnetes lapides, magnitudo, *magnobodus*, *mahometus* seu Mahumetes, maiales porci, *maioricus*, *maiorianus*, & poëticâ licentiâ Maioranus, *maiorinus*, *maioricani*, *maiuma* vrbs Palæstinæ, *malaca* Indiæ Orientalis ciuitas vt vulgò omnes, *malacitani*, *malamerus* seu Malamirus, *malchinus*, *maldreda*, *malea* promontorium Peloponnesi, quamquam liceat etiam tutò breuiare saltem in carmine, maledico, maledicens vnde maledicentior, malefidus, malesanus, malesuada fames,

malfredus, *maliea* vrbs Thessaliæ, malleator, malleatus, malleolaris, *mallosus*, *mallota* II. Machabæorum cap. 4. versu 36.

CORRIPIVNT penultimam *Maacha* mater Roboami, *macareus* substantiuum, *macarius* Abbas, *macartatus*, *macedo* & in plurali *macedones*, *macedonicus* maceria, *maceridas*, macero, *macete*, machærophorus, machæropus, *machanidas* Tyrannus, *machaonius* Melampus, *machares*, machina machinor, *macholima* vrbs *macloniopolis*, *maclonius*, macidus, *macine*, Macritus, *macrobius*, Macrobij & Macrocephali populi, *macrobior*, si Latine proferas, cuius crementum producitur macula, maculo, madefacit, *madian*, madido, madidus, *mæandrius* ales, Mæmacterion, *mænades* Bacchæ, *mænalus*, *menalius*, mænoles id est furiosus Bacchus, *menomeni* montes, *mæones* populi, *mæonia* regio, *mæonides* Homerus, *mæotica* palus, madefit, mafotium, magadion, magalia, *magdalis*, *magdalum*, *magdalurus*, *magetæ* populi, *magia* vrbs, magicus, magirica ars, magisterium, magnanimus, *magnesia* prouincia, magneticus, magnificus, magnopere, *megnopolis* vrbs, *magophonia* festum apud Persas, magydaris caulis genus, *mahometismus*. *maiolus*, quidni vt Carolus & similia, esto repugnet Gauantus, qui in plurimis allucinatus est, *maiorica* vrbs, *maiugena* Mercurius, *maiuma* siue Maiumas festum in honorem Maiæ mense Maio celebrari solitum quamuis alij libentiùs producant, quibus ego iampridem subscribendum monui, maiusculæ literæ, *malaca* vrbs Bæticæ apud Auienum, Mantuanum, alios, malache herba, malachinus, *malachus*, *malachias* Propheta, malacia. *malacon* qui Lysimachum occidit, malacus apud Plautum, malacostraci pisces, *malaleel*, *malbodium* vrbs, *malchio* maledicus, maleficus, maleuolus, *malia* vnde *maliacus* sinus, *malichus*, malicorium, malifer, malignitas, malleolus, malluuium. *malmundarium*, malobathrinus, malobathrum, *malthace* Archelai Iudææ Regis mater, maluaticum vinum.

MAM. MAN. MAP.

PRODVCVNT penultimam *mamertinus*, & Mamertinum fretum, mamillare, *mammonas* seu Mammona Deus Diuitiarum, mammosus, *mamemeluci*, *mamuchas*, *mamurianus*, manalis petra,

mancinus, *mandane* Aſtyagis filia, *mandanes*, mandatum, *mandela* pagus, manduco, manducus, *manfredus*, mangones, mangonizo; *manichai*, maniplaris ſeu manipularis & maniplus, quia ex contractione oritur, *manlianus*, *manricus*, manſuetudo, manſuetus, mantelum & mantele, manteum oraculum, mantia diuinatio, manticora ſeu marticora fera, de qua nos alibi, mantile, *mantinea* vrbs, quæ longè conuenientiùs producitur, *mantous* ſiue *mantuanus*, manualis, manubialis, manucodiata ſiue apus auis Paradiſiaca Manuco Dratta appellata, quaſi auicula Dei, manuleatus, *manutha*, mapale ſiue magale, ſi tamen vſitata ſunt in ſingulari, quibus adde *mappalicus*, vt quidem exiſtimo, licèt à mappa & mappalis quidam fortè deriuare velint.

CORRIPIVNT penultimam *mamertius*, *mamurius*, *mamylus*, *mamytus*, manabilis, *manahen* Herodis Tetrarchæ collactaneus, mancipes, mancipium, mancipo, mandibula, *mandrogenes*, *mandubij*, *manethon* Aſtrologus & Hiſtoricus Ægyptius, quem tamen Suidas Manæthona vocat, mania ſtultitia & *mania* Manium mater, *macedonius*, *mandrocles*, mandragoras ſeu mandragora herba, *mandropolis*, *mandyrium*, mangonicus, mangonium, manica, manico, *maniola* inſulæ, manicon herba, *manilius* Poëta, *manioli* populi, manipulus, *manius*, *manneas*, mannico, mannulus, manſatici, *mantias*, *mantala* locus territorij Vienneuſis in Galliâ, mantica, mantice ars diuinandi, *manthyrea* vicus Arcadiæ, manticulor, *mantinees* populi, nam de Mantinea vrbe dictum eſt ſuprà, *mantua* vrbs Italiæ, manubrium, manuela ſeu manulea, *manuel*.

MAR. MAR. MAR.

PRODVCVNT penultimam marathrites vinum, *marathuſa* inſula, *marbodus* ſiue vt alij vocant *marbodæus* Rhedonenſis Antiſtes & Poëta, *marcellinus* Comes, Marcionitæ Hæretici, *marco-*

meres, *marcomerus* & *marcomirus*, neque enim à Græco vt Pachymeres, *mardyeni* populi, *marea* vrbs & portus, *marene*, *mareone* Samaria, *mareotis* vua & palus, *margaretha* ſeu Margarita Virgo & Martyr, margarita ſiue margaritum, *margiana*, marginatus, *maria* ex Hebræis fontibus deriuatum apud Chriſtianos nomen, de quo vide Sacræ Scripturæ Lectorem eruditum, *marianus*, *mariandyni* populi, *marica* Nympha, *marina* Virgo, *marinus* & marinus adiectiuum, maritalis, marito, maritus, marmorata domus, *marone*, *maronea* vrbs, Maroneus adiectiuum, *maronianus*, *marotas* Martyr 27. Martij, *marpeſus*, *marrucini* populi, *martialis*, *martianus*, *martina*, *martinus*, *martinianus*, martyriale, *marutha* ſiue Maruthas Epiſcopus, *matzubanes*.

CORRIPIVNT penultimam maranatha primæ ad Corinthios capite 16 cùm copulatè pronunciatur, *marathon* vrbs Atticæ, marathrum & marathus herba, marcianopolis, *marcion* Hæreſiarcha, marcidus, *marcipor* ſiue Marci puer, *marcius*, *marcomani* populi, qui nonnullis dicuntur Marcomanni, marculus ſeu martulus, *mardiſa* vrbs, *mardokempadus*, *mardones* populi, *mardonius*, *mareoticus*, *margaris*, margaritifer, *margima* vrbs, *maria* Latinum nomen à Marius, vt Lucretia à Lucretius, Valeria à Valerius, &c. maritimus, *marius*, *marmarica* regio, *marmarida* populi, marmoreus & marmorinus, marmoro, *marochium* vrbs, *marolus*, licèt nonnulli producendum minùs rectè cenſuerint, *marpeſia* cautes, *marrubij* populi, marrubium, *maruuium*, marſpiter, *marſya* ſiue *marſyas*, marſupium, marteobarbuli ſeu matzobarboli. Marticola, Martigena, Martinalia feſtum, *martius*, *martula*, *martyrius*, martyrium in quacumque ſignificatione quam peculiari in eam rem diſſertatione diſcuſſimus, aliiſque planam fecimus, Martyrologi & Martyrologium.

PRODVCVNT penultimam maſculinus, *maſſiton*, *maſſyli* populi, *maſſyleus* adiectiuum, *maſſilicanus* ſeu Maſſilitanus, maſtiges id eſt flagella, maſtruca veſtis Sardorum, maſtrucatus, materiatus, mathema, matheſis, *mathion*, *matiani*, *matinus* mons Calabriæ, *matiſcona* vrbs, matricida, matrimoniales cauſæ, matrona ſiue mulier, & *matrona* pars Alpium Cottiarum apud Ammianum, Marcellinum, & in Itinerario quod Burdegalenſe vulgò dicitur, matronalis, matroneum, matruelis, *matthæus*, *mattidiana* mulier, maturo, maturus, *matuta* Dea, matutinus, *maximenus* ſaltem vt affirmat nonnemo, *mauricus* nomen proprium vt etiam Manricus, *mauritani* populi, *maurogatus*, *mauropulus*, *maurita* pro Mauruſij, mauſoleum, *mauſolus* Cariæ Rex, *maximianus*, *maximilianus* ſeu Maxæmilianus, *maximinus*, *mazarinus*, *mazenes* ac fortè *mazices* populi.

CORRIPIVNT penultimam *maſaris*, *maſculus* Martyr 19. Martij, maſculus, Maſora. *maſoricæ* oleæ, maſpetum, *maſſagetæ* populi. *maſſia*, *maſſicus* mons Campaniæ, *maſſilia* vrbs Galliæ Narbonenſis & *maſſylia* ſeu Maſæſylia regio Africæ, maſtiche, maſtichinus, maſticho, maſtigias, maſtigophorus, *maſtoides*, maſtrucula, *maſurius* ſeu Maſurus, *matalia*, matercula, matercula, *matarhias*, matertera, *mathanias*, Mathematicus, *mathuſalem*, *matralia* feſta Maturæ Deæ, *matreas*, matricula, matricularij, matrimus & matrima, quanquam alij repugnent, *matrona* Galliæ fluuius, *Matthias* Apoſtolus, *matiaci* populi, mattya, matula, maturitas, maturrimus, *mauricius*, *mauricus* adiect. à Mauris, *mauritania*, *mauruſius*, maximitas apud Lucretium, *maximus*, maximus, maximopere, *mazaca* vrbs Cappadociæ quæ poſteà Cæſarea, mazara teli genus apud Cæſarem, mazonomum, fortè etiam *mazaces* populi, vt *mazares* Medus apud Herodotum.

PRODVCVNT penultimam meatus, *mecœnas* vel mœcenas aut mecenas, *mechoacanus*, meconis lactuca, meconites gemma, *medea*, medela, *medeonus*, *medericus* Abbas, medianus, mediaſtinus ſeruus, mediator, mediatrix, medicamen, medicina, *mediolanum* vrbs Italiæ, Galliæ &c. *mediomatrices* ſiue mediomatrici populi, *meduana* fluuius & vrbs, *medullina*, *meduſa* Gorgon, *meduſæus* adiect. *megabazus* ſeu *megabyzus* Perſa, *megalopolitæ*, megalopſychus, megaleum, *megareum* ſeu megarea vrbs, *megembodus*, megiſtanes, *melana* vrbs, *melampia*, malampygus Hercules, melanagogum pharmacum, *melanopus* eques quidam, melanthynus, melanurus piſcis, *melchiſedecus*, *melea*, *meleagreus* & *meleteus* à Melete fluuio adiectiuum, *meliboeus* Paſtor, *melibotus* vrbs, melichryſus, melicratum aqua mulſa, *meligunis* inſula, melilotus herba, melimela, *melina* vrbs, melinus à mele fera, melioro, *melitai* Catelli, *melitene* & melitena vrbs, melites, *melitina*, melitites, & melites gemma, melittones, *melituſa*, melligo, mellitus, melodes ſeu melodus, *melodunum* vrbs, melotæ pelles ouiuæ.

CORRIPIVNT penultimam *mearus* fluuius Hiſpaniæ, mechanicus, *mechoacan* regio, *meclinia* vrbs, meconius, *medaba*, *medeides* herbæ, *medeon* vrbs, *media* regio, medicabilis, medico ſeu medicor, *medeus* è Media vnde malum medicum, medicus, *medigenæ* gentes, mediocris, mediocritas, *mediolum* vrbs Phrygiæ, medioxumus, meditor, medoacus qui & meduacus fluuius Patauium alluens, *medontidæ* Athenis, *medullia*, *meduli*, medullitus, *megabites*, *megacles*, *megaleſia* ludi, *megaleſiacus*, megalia, megalographia, *megalopolis*, *megara* vxor Herculis, *megareus* nomen proprium & *megareus* adiectiuum, *megaris* regio, *megaſthenes*, melanpodium herba, melancholia, melancholicus *melancomas*, melancory-

phus, melandrion, *melaneus*, *melanion* Hippomenes, *melanippides*, *melanippion*, *melania*, *melantius*, *melanthius*, *melanthion*, *melaria*, *melchiades* seu Meltiades Papa *melchior*, *melchisedech*, *meleager* seu meleagrus, meleagrides aues, *melesigenes* Homerus, melichros gemma, melicus, *melia* terra, *melichus*, melinus id est melicus, & *melinus* à Melo insulâ necnon melinus à pomis, melion herba, *melita* seu Melite insulâ vt vulgò omnes præter Aratorem qui produxit, *meliteu*, melitus vnus ex accusatoribus Socratis, meliusculè, mellifer, mellifico, melliloquus, mellina, melloproximus vox Græco-Latina, *melobosis*, melodia, melodicus, melomeli, melones saltem melopepones fructus æstiui; *melphiticus*, *melpomene* vna è nouem Musis.

MEM. MES. MET.

PRODVCVNT penultimam membrana, membratim, memorialis, *memphites* bos, *memphitis* vacca, menæa Græcorum, *menalippæus* & *menandreus* adiectiua, mendico, mendicus, *mendites*, mendosus, *meneclides*, *menedemus*, *menelaus*, *menephylus*, meniana, *menodora*, *menodorus*, mensatim, menstrualis, mensura, mensuro, mentigo, mentitus, mentiturus, mephitis, meracus, *merarita*, mercator, mercatura, mercatus, mercedinus mensis, mercurialis herba, *mercurialis* Medicus, meretricor, meridianus, *merodachus*, *meroueus* rex Francorum, *mesomedes* Poëta, *mesopotameni* seu Mesopotamitæ, *messala* Consul, *messalina*, *messalinus*, *messana* vrbs, *messapus*, *messeis* fons, *messene* vrbs, metamorphosis, *metanira*, metanœa, *metapontini* ciues metator, metatus, metaxa, *metaurus* seu Metaurum flumen, metempsychosis, meteora, *metereus* adiectiuum, *methion*, *methone* vrbs, *methymnæus* adiect. meticulosus, metitus, metopæ apud Vitruuium, & *metochites* Theodorus, *metranus* & *metrenus*, metreta mensuræ genus, *metrobatzanes*, *metrodora*, *metrodorus*, metropolita seu

metropolitanus, metroum, μητρῷον Athenis fanum Phrygiæ Matris Deûm, sic metutus apud Lucretium libro 5. v. 1139. pro metuitus.

CORRIPIVNT penultimam *membliarus* insula, membranaceus, memini, *memnonides* aues, *memnonius*, memorabilis, memoriter, memoro, *memphiboseth*, *memphiticus*, *menapi* seu Menapij populi, mendaciter, mendacium, *mendesius*, mendicabulum, mendicitas, *menecrates*, *menecleus*, *menephron*, *menestratus*, *meneus*, *menenius* & *menius*, *menodotus*, *menœceus* si dissoluas, *menoetiades*, *menoetius*, *menogenes*, menologium, menologus, *menophanes*, *menophilus*, mensurabilis, mentagra, *mentoreus*, mephiticus, mercabilis, mercedonius mensis, mercenarius, mercimonium, *mercurius*, meretrix, meretricula, meretricius, meridior, meridies, *meriones* auriga, meritò, meritum, meritorius, *mermerus*, merobibulus, *merodach*, *meroë* vrbs, meropes aues, *merocles* Ep. *merope* vna è Pleiadibus, *meropia*, *meropus* mons, merula auis, *merulus*, *mesembria* vrbs, *mesembriaci* portus, mesenterium, mesochorus, mesolabum, *mesopotamia*, mesotropa, mespilus, mespilum, *messabatæ* populi, *messapia* Apulia, *messenia* regio, *messenicus* siue Messeniacus, *messenides*, *messenius*, *meßias* si cum nostratibus Gallis rotundo facundóque ore pronuntiare volueris, metabasis, metabole, metabulum, *metabus* pater Camillæ, *metagenes*, *metaginion* mensis Atheniensium, *metagonion*, metallicus, métaphora, metaphrasis, metaphrenon, Metaphysica, Metaphysicus, *metapontius*, metathesis, metatoria pagina, metaxarij, meteoroscopus, meteorologica, *methana*, *methapus*, methodicus, methodus, *methodius*, *methora* vrbs Indiæ, *metiochus*, *metion*, *metionidæ*, *metius* suffetius, metoche, metonymia, metopion, metoposcopus, *metreas*, metricus, Metroacus ad sacra Cybeles matris Deorum spectans, *metrocles*, *metrephanes*, metropolis, *meuania* vrbs, *meuius*, *mezentius* Deorum contemptor apud Virgilium, *mezraim*.

MI. MI. MN.

PRODVCVNT penultimam *Micelæ* populi, *Micheas*, seu potiùs Michæas Propheta, micropsychus, microtrogus seruus apud Plautum, *midea* seu Midæa vrbs, *milidunum* seu Meledunum vrbs, *miletus* vrbs, *Mileuitanus* Optatus, *mileuum* vrbs

Africæ, miliaris, *milledunum*, millenus, milliare, miluago, miluinus, *mimatæ* vrbs, mimesis, miniatus, *Minoïs* Ariadna, *minoritæ*, minoto, *Minous*, & vrbs *Minoa*, minutal, minutatim, minutus, *miphibosethus*, *mirapicum* vrbs seu mirapicæ, mirator, miratrix, misanthropus Timon hominum osor, *misenates*, *misenus* Æolides & ab eo dictus mons, miserator, misetra, missale, misopogon cuius etiam crementum producitur, *mistolinus*, mistura, mitratus, *mithridates*, *mitridatheus* adiect. *mithrobatzanes*, *mitylene* vrbs & *mitylenæus* adiect. miurus, *mnasylus* Pastor, *mnesibulus*, *mnesithides* & *mnesthides*.

C o r r i p i v n t penultimam *Michaël* Archangelus, *michaëlicus*, *michale* Venefica, *micete* vrbs, *microcles*, Micrologus, microscopus & microscopium, micturit, *midea* vrbs quæ etiam producitur, *mideaticus*, *milesius* & Milesiacus, *milichius*, milito, milium, millesimus, millipeda, *milonia* oppidum, *milonius*, *miltiades*. *miluius* seu Muluius pons, *mimallones* & Mimallonides Bacchæ, mimariæ, mimicus, mimographus, minaciter, *minciades*, *mincius* fluuius, *mindarus*, *minesas* Alcithoë, *mineides*, *minias* miniatis Martyr 29. Octobris, miniatula cera, *minion* vrbs, minimus, *minimi*. ministerium, minitor, *minius* fluuius, *minoius*, *minorica* insula, *minturnus*, *minyæ* Iasonis socij, mirabilis, miraculum, *mirandula* vrbs, mirificus, *mirobriga* vrbs, *mirocles*, *misaei* qui & Misach, miserabilis, misericors, misetitus, miseror, *misitius*, misocali, misogyni, missaticus, missilis, missorium, *misumenus*, mithridatium Pharmacum, *mithrydraticum* bellum, mitigo, mitylo, mititas, mitulus seu mitylus, mixarium, mixobarbarus, mixtarabes seu Mixarabi apud Hispanos, *mnaseus*, *mnaseon*, mnemonicus, *mnemosyne*, mnemosynon, *mnasimachus* Poeta, *mnesiptolemus*, *mnesitheus* & *mnestheus* si dissoluas.

MO. MO. MO.

P r o d v c v n t penultimam *Moabitæ* populi, *moabitis* regio, *moabus*, moderamen, moderatus, moderatim, *modestinus* IC. modialis, modimpe-

ratot in conuiuiis, modulamen, mœchia, id eſt, adulterium apud Tertullianum alióſque Patres, *moguntinus* ſeu maguntinus, *molanus*, molare, molaris, *moldauus*, molendinum & molinum, molectrina, molile, *molina* vrbs, *Molinæus* IC. molitor à molior, vt etiam molitus & molimen ab eodem verbo, molitura, mollitudo, mollitus, mollugo herba, molochites gemma, *moluca* inſulæ numero quinque, *molion*, molucrum morbi genus, *molorchæus* adiectiu. molybdæna plumbi fodina, *molybdea* vrbs, molybditis, molybdodes, *molyrus*, *mommolenus*, monachilis habitus, monachium, id eſt, ſodalitium Monachorum è Græca voce, *monaſes*, *moneſus*, moneta, monetalis Præſes, moniales, monile, monocolon, monochroma, *monœcus* Hercules, monopolæ, monoptoton, *monothelita*, *monſpeſſulanus* & *monſpolitianus* vrbes, monſtroſus, *Montanus* & *montinus*, montani montium incolæ, *mopſuates*, *mopſucrene*, *mopſueſtenus*, moralis, moratus ſiue à moribus, ſiue à moror, *morani* populi, *moraſthites* Micheas, moretum, moriturus, mormolycium, mormyres piſces, moroſus à mos & mora, morſicatim, mortalis, morticinus, *moſambicum* vrbs & inſula, *moſchopulus* Grammaticus, *moſeus* adiect. *moſyni* vel moſynæi populi, *motene*, *mothone*, motiuus.

CORRIPIVNT penultimam *Moabide*, *Moabiticus*, mobilis, mobiliter, moderabilis, moderor, *modia*, modicus, modiolus, modulor, modulus, mœchalis adultera, *mœrichus*, *mœrageres*, *mœſia* regio, *moguntia* ſeu maguntia aut moguntiacum vrbs ad Rhenum, *mogonus* fluuius qui vulgò dicitur *mœnus*, *moldauia*, molitor & molitus à molo tertiæ, mollicomus, molliculus, molliter, moloche herba, molochinus color, *molycria* vrbs, *molpadia*, momaria vox ficta, vt volunt, à

Momare Siculo, seu potiùs à Momo deorum irrisore, vel à Græco μωμιάζ, *monachium*, vrbs Bauariæ vt quidem vulgò pronuntiant, monachicus, monachi, monadicus, monarchia, monarchicus, monasterium, *monasterium* vrbs Vvestfaliæ, monasticus, monedula, *monembasia* vrbs, monetarius, monitor, monitus, *Monica* S. Augustini mater, quæ aliis Monycha, *monobels*, monoceros seu vnicornis, monodia, monodicus, *monodus* Prusiæ filius, monoculus, monogamia, monogamus, monomachia, *Monomachus* Constantinus, monometrum carmen, monomitus, monomœria, *monomotapa* regnum, monomus vt quidam, Atenim, quid si potiùs ab ὦμος descendat? monopatium, monophagus, monopodium, monopolium, monopteros, *monoscels* populi, monostichum, monosyllabus, monotrophus & monotropus, monoxylum nauigium, monstrifer, monticola, montiuagus, monticulus, *monychus* Centaurus, *monyme*, *monymus*, *mopsopia* regio, *mopsuestia* vrbs Μυψουεστία, *morauia* prouincia, morbidus, mordacitas, mordicus, morganiticum, *morgentia*, moria stultitia Erasmi & aliorum, *moria* mons Ierosolymis, moriger seu morigerus, morigeror, *morini* populi extremi hominum, vt ait Poëta, morio, mormylus, morsico, morologus, mortalitas, morrarium, mortifico, *mosaïcus*, *moschion*, *moseus* substantiuum si dissoluas diphthongum, vt etiam *Moyses*, *mosiada* Iudæi, *mosomum* siue mosomagus vrbs, motito, *motya* & motylæ, *mosarabes*, mosarabicum missale.

MV. MV. MY.

Prodvcvnt penultimam *Mucianus*, mucosus, mucronata cartilago, mucronatim, muginor, mugitus, mulcedo, mulctrale, mulierosus, mulomedicina, mulsura, multigrumus, multinodus, multinumus, multipertitus, multisonorus, multitudo, mundanus, municipalis, munimen, munitus, muræna, muralis, muratus, *muretus*, muricatim, muricatus, murinus, *Murrhanus*, *Murzuphlus* Alexius tyrannus, *musæus*, muscosus, museum, siue vt alij scribunt, musæum, *musicanus*, musiuus, mustela, mustelinus, *musulmanes* seu

musulmani, mutatus, mutilator, *mycaleus* adiect. & *mycenaus*, *mycena* vrbs, *mycenis* Iphigenia, *mycerinus*, mydriasis, repugnante licèt Hutero, *myiodes* muscarius deus, *myonesus*, myopes, *myrcinus*, myrica frutex, *myrice* nympha, *myricus*, *myrina* vrbs, *myrini* campi, myrinus mas muræna, myrmecites gemma, *myronus*, myropola, myrrhatus, myrrhites & myrtites vinum, *myrtea* vrbs, myrtetum, *myrtoum* pelagus, mystagogus, & fortè *myxinum*.

CORRIPIVNT penultimam muccinium, mucidus, *mucius*, mugilis, mulieres, ne te inepti decipiant Grammaticuli aut balbutientes Poëtastri qui produxerunt, *Mulciber* Vulcanus, muliebris, muliebriter, muliercula, mulieres, mulio, mulionius, mulomedicus, mullei, multangulus, multesimus, multibibus, multicolor, multifidus, multiforatilis, multiforis, multigenus, multiiugus, multiloquus, multimodus, multipeda, multiplex, multiplico, multitia, multiuagus, multiuidus, multiuira mulier, multiuolus, multoperè, multoties, *mulucha*, *mummolus*, *mummius*, mumia, *munacius*, munditer, munero, municeps, *munichia* regio, *munichius*, munichion mensis, munifico, munificus, munusculum, muræ nula, *murcia* seu murtia Dea, murcidus, muria, muriaticus, muribrachia, murilegulus, muriculus, murmuro, murrhinus siue myrrhinus, *Musagetes* Hercules, musaïcum seu mosaïcum opus, musalon, muscarius, muscipula, musculus, *musculus*, musica, musicus, musimon cuius crementum rectius mea sententia corripitur quàm producatur, mussito, mustaceum, *mustiola* die 3. Iulij, mustricola, mutabilis, *mutala* vrbs, mutatio, mutilo, mutilus, *mutina* vrbs, *mutius*, mutulus, *muzalon*, *mycale* venefica & vrbs, *mycone* seu Myconus insula, mygale & mygalea, musaraneus, *mygdones* & *mygdonij*, *mygdonia* regio, *mygdonides* mons, myiagros muscarum ductor, *mylasa* vrbs, *myleus*, *mylomachus*, *myndones* populi, myoctonon, *myonia*, myophonon, *myrgete*, myrepsicæ nuces, myrias, *myrinus* proprium viri nomen, myriogenesis, myristica nux, myrmecia, myrmecias, *myrmecides* sculptor, myrmecium phalangij genus, myrmecoleon, *myrmidones* populi, myrobalanon, myro-

brecharius, myropolion, myrothecium, myrrhinus, *myrsilus*, *myrsinus* vrbs, *myrtale*, *myrtea* Venus, myrteum sertum, myrtidanum, *myrtilus* auriga, myrtinus ex myrto, *mysia* regio, *mysistratus*, *mystalides*, mystaces, *mystacon* mysterium, mysticus, mythistoria, mythologia, mythologus, mytilus, myxophorus.



NA. NA. NA.

PRODVCVNT penultimam *Naamanes* seu Naamanus, *nabalus* seu nabales, *nabarzanes*, *nabathaus*, *nabonnidus*, *nacole* & *nacolia* seu nacolea in 7. Synodo, *namneta* seu nannetes populi, *nanceiani*, de Nanææ templo alibi, *nanterus*, næniosus, *napea* Nymphæ pratorum, napina, *napita* populi, *narbona* seu narbo Martius vrbs, narcissites gemma, *narica* aqua, *narona* vrbs, *narthecis* & *narthecusa* insulæ, *nasamones* populi, *nasates*, *nasica* Scipio, *nasidianus* siue nasidienus, nasutus, natalis, *natalis*, natator, natatus, *nathanes* Propheta, *nathinei*, natiuus, natura, nauale, naualis, nauclerus, *nauclides*, *naucydes*, *nausiclides*, *nausinicus*, *nazaraus*, *nazarenus*, *nazianzenus*.

CORRIPIVNT penultimam *naaman* Syrus, *nabatha*, nablium, *nabonassarus*, *nabopolassarus*, *nabuchodonosor* & *nabuchodonosorus*, *nachorides* Loth, *nacones*, nænia, næniola, *nauolus*, *nauius*, *naias* Nympha & in plurali naiades seu naides, *naica* dona, *namphamon*, *nanceium* vrbs, narcissinus, narcoticus stuporem concitans, nardinus ex nardo, *narnia* vrbs, narrabilis, *narseus* solet quippe dissolui, *nartalus* Martyr, narthecium, *narycij* Locri, *nancia* pix, *nasamon*, *nasamonius* seu nasamoniacus, *nasidius*, *nasium* locus Galliæ, nasturcium, *natalia* sancti Hadriani vxor, natatilis, natatoria Siloe, natiuitas, *nathanael*, *naubolides*, nauclericus, *naucrates*, naucraticus,

naucratis,

naucratis, nauia, nauicula, nauiculator, naufragus vel naufragus, naufragium, nauiger, nauigo, nauita, nauiter, *nauius* augur, *naulochum* Smyrna, naumachia, *naupliades* Palamedes, *nauplius* & *nauplia* vrbs, nausea, nauseo, *nausica* Nympha, *nausimenes*, *nausithous* Rex Phæacum, nautea, nauticus, nautilus piscis, *naxia* vrbs, *naxos* è Naxo, *nazara*, *nazareth*, *nazarius* martyr, & apud Prudentium alicubi *nazareus*.

NE. NE. NE.

PRODVCVNT penultimam *neæra*, *neæthus* fluuius, *neandrea* vrbs, *neapolitæ* & neapolitani, nebrites gemma, *nebrodes* mons Siciliæ, nebulosus, nec-opinus, necromantia seu necyomantia, negatiuus, negotiosus, *neicides*, *neitæ*, neleus adiectiuum, *nelides*, *nembrodus*, siue nembrotes, *nemea* ludi, *nemeus* Iupiter apud Pausaniam, *nemeæus* adiectiuum, *nemetacum* vrbs, *nemetes* populi, *nemetodorum* S. Genouefæ patria, nemoralis, nemorosus, *neobule*, *neobulus*, *neobulinus*, *neoclides* Themistocles, *neodunum* vrbs, *neochorus* Lysandri interfector, *neocæsarea* vrbs, *neontichos* vrbs, *neotichitæ*, *nepheleis* Helle, *nepheleus* adiectiuum, *nephesinus*, nephritis seu nephresis morbus, *nephtalitæ*, *nepotianus*, nepotinus, nepotor, *neptunine* Thetis, *neptunus*, nequaquam, *nequinum* vrbs, nequitis, nequiui; *nereis* quanquam anceps sit in carmine, *nereus* adiectiuum, *nerine*, nerinum pecus, *neritæ* apud Oppianum, *neronia* vrbs, *neronianus*, *neruicanum* littus, neruosus, *nesæe*, nescitus, *nesiope*, *nescope*, *nesseus* adiectiuum. Addenda iis quoque nonnullis videtur *neriene* vxor Martis, de qua pluribus disserit Aulus Gellius lib. 13. Noctium Attic. c. 21. ex Ennio aliisque.

CORRIPIVNT penultimam *neapolis*, *nebrophone*, nebrophonus canis, nebridæ, nebula, nebulo, *necao*, necessitas, necrologium, necromantici, *necropolis* vrbs, nectareus adiectiuum, *nectanabus* seu nectanebus, *nectarius* Episcopus CP. necubi, necydalus vermis quidam, negito, negligo, negotior, *nehemias*, neium, neleus substantiuum, *nemausium* quæ sæpius dicitur nemausus vrbs, *nemea* ludi, *nemea* sylua, nemeacus agon, *nemesis*, *nemesius*, nemoriuagus, *neocles*, neocori, neogamus, *neolaida*, *neomadia*, *neomagus*, neomenia, id est nouilunium, *neonysia*, *neophron*, neophytus, *neoptolemus* Pyrrhus, neotericè, neotericus, nepeta herba, nephalia sacra sobriorum, *nephele*, *nepheleias* Helle, nephelococcygia, *nephtalim*, *nephtalides* Tobias à patria, nepotulus, *neptunicola*, *neptunius*, nequiter, *nereides*, *nereus*, *nericius* Vlysses, *neriene* seu nerio vxor Martis, cuius crementum anceps fuisse docet laudatus modò Gellius, quem consule, *neriglissarus*, *neritus* insula, *nertobriga*, *neruij* populi, *nesiades*, hoc est paruæ insulæ, *nestabus* Martyr 8. Septemb. *nestores* anni, *nestorius* hæreticus, nestorides, neurobatæ, *neustria*, *neustrinus*, neuricus ad neruos petinens, neutiquam, neutrobi seu neutrubi, nexilis.

NI. NI. NI.

PRODVCVNT penultimam *nicæa* Bithyniæ vrbs, in qua duo habita Concilia *nicæna*, *nicanor*, & *nicator*, Regum cognomina, *nicerotianus*, *nicetas*, *nicobulus*, *nicobuline*, *nicodamus* Doricè ac communiter; *nicodemus* seu Demonicus aut Damonicus, *nicolaus* siue Laonicus, *nicomedes* Rex, *nicomedia* vrbs Bithyniæ, *nicophemus*, nicotiana herba siue tabacum, nigellatum, nigredo, *nigrina*, *nigrinus*, *nigrita* populi, *nilamon* siue correctiùs, *nilammon* etiam producto cremento, *nilotis* aqua, nimirùm, *nineue* seu nineui vrbs quæ vulgò Niniue dicitur correptâ penultimâ, *niniuita*, *ninoëtes*, *niobeus* adiectiuum, *niphaus*, *niphates* mons, *nirea* fa-

cies à Nireo, *nisæa*, *nisaus*, *nisibenus*, *nisyrus* vrbs siue insula, nitela, nitelinus, *nitocris* Regina, de qua Herodotus, nitratus puluis, *nitriotæ* Monachi, nitrosus, niualis, niuosus.

Corripiunt penultimam *Nicanetus*, *nicasia*, *nicasius* Episcopus, *nicatoris*, *nicagoras*, *nicarete* seu Nicerate virgo 27. Decembris, *necasipolis*, *nicephorion* vrbs, *nicephorus*, *niceratus*, *niceros*, niceterium, *nicia* in Salyis, quæ & interdùm nicæa Marliano, Scaligero, & aliis recentioribus, *nicias*, *nicocles*, *nicocrates*, *nicocharis*, *nicocreon*, *nicodromus*, *nicoleos*, *nicomachus*, *nicomia* vrbs Ponti à nicone, *nicophanes*, *nicophon*, *nicopolis* & *nicosia* vrbes, *nicostrata*, *nicostratus*, *nicoteles*, nidifico, nidulor, *nigidius*, nigresit, nigricans, nihilominùs, nihilosecius, nihilum saltem vulgò, nam aliter Obertus Gifanius & quidam alij viri perdocti, *nileus* substantiuum, *niliades*, *niliacus*, *niligena*, *niloticus*, *ninguidus*, *ninias*, *niniue* vrbs, vt quidem passim omnes docti indoctique, *nioe*, *niobe*, *niobeia* proles, *nireus* substantiuum, *niseius* adiectiuum, *niseides* seu nisiades Nymphæ, *nisibis* vrbs, nitedula, nitidus, *nitiobriges* quorum ciuitas Aginnum, nitraria, *nitria* prouincia Ægypti seu Thebaidis, niucus.


NO. NV. NY.

Prodvcvnt penultimam *noachus* alter humani generis parens, *nobanus* à Nobe vrbe sacerdotali Saülis tempore, nociturus, nociuus, noctuinus, noctiluca epitheton Dianæ, *nodinus* Deus quidam Ethnicorum, de quo sanctus Augustinus libro 4. de Ciuitate Dei, nodosa podagra, *noemi* vt quidem vulgò, nam Prudentius corripuit, & per epsilon scribitur in codicibus sacris, *noemon*, & vt quidam appellant *noemus* ac *noetus*, & ab eo noëtiani hæretici, *nolanus* à nola vrbe, nolimus, nolite, nomenclator, nomenclatura, *nomentana* via, nomina-

les Philoſophi, *nomion*, *nomionum*, *nonacriates*, *nonacrine*, *nonacrinus*, nonageni, *nonaris*, *nonnoſus* Abbas, *norbanus*, normalis, *normani* ſeu nortmanni, *nortuegi* ſeu norvvegi, noſocomium ſeu noſotrophium, *notkerus* balbulus, nouale, *nouarinus*, *nouatianus* hæreticus, nouator, nouatus & *nouatus* hæreticus, nouelletum, *nouempopulani*, nouendiales feriæ, nouenni, nouercale odium, *nouiodunum* & *nouocomum* vrbes, noxialis, nubiloſus, nucata, *nucerinus*, nucetum, nucipruna, *numana* *numanus*, *numantini*, numeroſus, *numicus* fluuius, nummatus, nundinalis, *nurſinus*, nutricor, nutrimen, nutritor, nutritus, *nyčteis* Antiope, nyctoſtrategi, nymphæa herba, nympheum antrum nympharum, *nymphodora*, *nymphodorus*, *nyſæus*, *nyſeis*, *nyſſenus*.

CORRIPIVNT penultimam *nobiliacum* cœnobium, nobilis, nobilitas, nobilito, noctambulus, nocticolor, nocticula, noctigena, noctifer, noctiuagus, noctiuidus, nolumus, *nomade* populi, nomarchia, nomocanon Photij, quod etiam Græcè νομοκάνονον dicitur apud Balſamonem, nominito, nomito, *nomius* Apollo, nomophylax, nomotheta, *nonacris*, nonageſimus, nonaria, *nonius*, *norici* populi, *noricum* regio, *Northmannia* & *Northvegia* regiones, *norope* populi, noſcito, noſologia Chymica, notabilis, notaculum, notifico, *notius* id eſt Auſtralis, ſeu Meridianus, nouacula, *nouarea* vrbs Italiæ, *nouesium* vrbs, *nouempopuli*, *nouempopulania*, nouenſiles, nouilunium, *nouiomagus* vrbs, nouiſſimus, nouitas, noxia, noxius, nubicula, nubifer, nubigenæ bimembres Centauri, nubilis, nubilus, nubilum, *nuceria* vrbs, nucifrangibulum, nucinus & nuceus, nuciperſica, nucleus, nudipedes, nudipedalia, nuditas, nugigerulus, nugiloquus, *numantia* vrbs, *numantia*, *numenius* Philoſophus, numerabilis, numero, numeroſitas, numerus, *numicus* ſeu potiùs Numicius vir quidam,

numidæ populi Libyæ, *nu[illegible]dia* regio, numidicæ guttatæ, *Numitor* Iliæ pater, auusque Romuli, nummarius, nummulus, nuncubi, nuncupo, nundinæ, nundinor, *Numades* Iosue, *Nunil* virgo 22. Octob. nuperus, nupturit, *nursia* vrbs, nutricula, *nyzalon*, nyctalops, *nyctelius* Bacchus, nycteris vespertilio, *nycteus*, nycticorax, *nyctelus*, nyctilops, *nyct m[illegible]* nyctoblepæ, *nymphodius*, *nysiades* seu nysceides Nymphæ, *nysigena*.



OA. OB. OC.

PRODVCVNT penult. *Oasenus*, *Oaxens* ab oaxe fluuio, obæratus, *obareni* populi, obater, obbouinor, obduco, obduro, obedi & obesus ex composito verbi edo, obedis, obedit ab obedio siue obaudio, *obeliatus*, obieci, obiui, oblatrator, oblatus, oblatæ, oblectamen, obligurit, oblimo, obliquo, obliquus, obliuiosus, oblitus ab obliuiscor, obludo, obnitor, obnubo, obrepo, obretit, obretitus, obrodo, obrupi, obryzum aurum, obsaluto, obsceno, obscenus, obscuratus, obscuro, obscurus, obsedi, obsequela, obsequiosus, obsepit, obsido, obsidionales machinæ, obsoletus, obsonor seu potiùs opsonor, obstaturus, obstetricor, obstinatus, obstipo, obstipus, obstrigillator, obsutus, obtenebratus, obtrudo, obturo, obtusus, obtutus, obuolutus, occasus, occidentalis & occidualis Prudentio, occido à cædo, occisus, occludo, occlusus, *oceanitis* nympha, *ocelis* vrbs, ocellati, ociosus, ocreatus, *ocrisa*, octaeteris, octaphonus, *Octauianus* Augustus, octa-

uus, October, *octodurum* siue octodorum vrbs, octoëchus, octogenus, octonus, oculatus.

CORRIPIVNT penultimam *Oarion* apud Catullum pro Orione, *oasi* regio deserta, *oasis* oppidum, *obades* Rex, obagito, obambulo, obaro, obbibo, *Obdulia* virgo 5. Septembris, *obededom*, obedo, obedio, obelus, obelicus, obequito, obiacet, obiicit, obiter, obitus, oblatro, obligo, oblino, obliquitas, oblitero, oblitus ab oblinor Isaiæ 44. versu 18. obliuio siue obliuium, obloquor, obmurmuro, obnato, obnubilo, obolus, oboritur, vt exoritur, obriget, obrutus, obsaturo, obsecro, obscuritas, obsequium, obsequor, obsero, obsidet, obsidiæ, obsidio, obsipo apud Scaligerum in Atta, obsodædali, obsonium, obstaculum, obstetrix, obstino, obstiti, obstrepens, obstrepito, obstrepo, obstrigilo si tamen à strigili, obstupefacit, obstupet, obtegit, obtempero, obtenebro, obtero, obticet, obrigit, obtinet, obtudi, obtuli, obtuitus, obuenit præsentis, *Ocalea* vrbs, occido à cado, occidens, occiduus, occino, occipit, occiput, occubitus, occubo, occupo, *oceanitides*, *oceanus*, *Ochozias*, *ochenius*, ociminus & ocimum herba, ocior & ocissimus, vt quidam scribunt, *ocinarus*, *ocrazapes*, ocrea, *ocrisia* Tulli mater, octaedron, Græcè ὀκτώεδρον ab ἕδρα qua in voce grauiter peccatum posteà deprehendi in Prosodia Bononiensi, aliisque quæ ex Hellade in Latium commigrarunt octangulus, octaphorum, octapla Origenis, octaplæ vestes, octapus, *octauius*. octipes, octogesimus, octuplus, oculitùs, oculus, *ocyalus*, *ocypete* vna è tribus Harpyis, *ocyroe* vel ocyrrhoe Nympha, ocymum, vt quidam scribere amant, ocyor, ocyssimus, & ocyter Baptistæ Mantuano.

OD. OI. OL.

PRODVCVNT penultimam *Odenatus*, odeum, odiosus, *odites* Centaurus, odoratus, odoror, odorus, *odotheus* Dux Barbarus apud Claudianum de quarto Consulatu Honorij, *odrada*, odyssea poëma Homericum, *œbotus*, *œclides*, œdema, *œdipodion*, *œnanthea*, *œneus* adiecti-

uum, *œnides* Tydeus, *œnipontinus*, *œnone* mulier, œnopola, *œnotrus*, œnusæ insulæ, officina, officinator, officialis, officiosus, offusus, *oilodes* Aiax & *oileus* adiectiuum cuius penultimam licentiâ Poetis familiari corripuit Ouidius, *olaus* Magnus, *olanus*, *oldradus*, olearis, oletum, oliua, oliuetum, oliuum, *olizon* vrbs, *olizones* populi, ollaris, *olmiros*, *olmius* fluuius, ololygon, olorinus, olusatrum siquidem, vt volunt, sit vnica tantùm dictio, *olympiodorus* scriptor, olympionicæ, olyra, id est siligo arinca.

CORRIPIVNT penultimam *Odera* fluuius, oderis, odimus, *odilo* Abbas primo die Ianuarij, odium, *odius*, *Odoacer* Rex Herulorum, siue Odoacrus, *odone* populi, odorifer, odorisequus, *odrysæ* populi, vnde *odrysius* Boreas, *œagrus* pater Orphei, qui ab eo dictus est Oeagrius à Virgilio, *œbalia* regio, *œbalides* Narcissus, œbalidæ Dioscori fratres, *œbaus*, *œbalius*, *œbares*, *œbasus*, *œbalia* vrbs, œconomia, œconomus, œcumenicus Patriarcha, *œcumenius*, *œdipodes* seu œdipus, *œdipodionies*, *œdipodionia* Thebæ, œnanthinus, *œneus* pater Tydei, œniadæ, *œnoe*, *Oenomaus* Dux, œnophorum, *œnopia* regio, *œnopides*, *œnopion*, œnopolium, quanquam aliqui velint minùs appositè scribi quóque penultimam posse cum diphthongo, *œnolycus*, œnophilus, *œnotrea* tellus, id est, Italia, *œnotrides* insulæ, *œnotrij* Itali, œsophagus, *oesyma*, siue œsyme vrbs, oesypum, *œtilus*. offendiculum, officiositas, offensaculum, offero, officit, offuciæ, *Ogenidæ*, *ogenus*, oggannio, oggero, ogdoas, *ogdous*, *ogulnia*, *Ogyges* Rex Thebanus, *ogygidæ* Thebani, *ogygium* diluuium, *ogyris* insula, *oileus* pater Aiacis, *oiliades* Aiax, *olbia*, *olbiades*, *olbiapolis*, *olcades* populi Hispaniæ haud procul nouâ Carthagine, olea, oleaceus, oleaginus, oleastrinus, *olenia* capra, *olenides* Phoceus, *olenus* vrbs, *olerus* vrbs, *olenticus*, olfacit, *oliaros*, seu oliarus insula, *Olibrius*, olidus, oligarchia, olitor, oliuifer, oliuitas, *ollius*, *olophernius*, *olorus* Rex, *olphicus*, olusculum, *olybriacus*, *olympiacus*, *olympia* ludi, *Olympias* mater Alexandri, olympias quadriennium

apud Græcos, *olympiades*, *olympicus*, *olympiodotus*, *olympiosthenes*, *olynthiacus*, *olynthij*, *olysipponicus*.

OM. ON. OP.

PRODVCVNT penultimam *Omanitæ* populi, omasum, *ombritæ* populi, ominosus, omisi, *omius*, omninò, omphacites, omphalomantia, *onassimedes*, *onatas*, *onites* siue onytes, 12. Æneidos, onitis herba, *onium*, siue oneum templum Iudæorum in Ægypto, onerosus, *onitor*, *onitis*, *onochonus* fluuius, ononis & onogyros herbæ, *onoris*, ononychites, onychomantia, oomantia, & vt quidam putant *oolibama*, opaco, opacus, operator, operosus, *opesus*, *ophias*, ophiasis morbus in capillis, ophietis petra apud Dionysium Periegetem versu 1013. *ophion*, *ophitæ* Hæretici, *ophitea*, ophites marmor, *ophiuchus* serpentarius, *ophiusa* insula, *ophratanes*, opificina, *opimianus*, opimo, opimus, opinatus, opinor, opinus, *opiterginus*, *opites*, *oportuna*, oportunus, oporotheca, oppedo, *oppianus*, oppidanus, oppidatim, oppilo, opportunus, *opsidianus*, opsimathia, opsono & opsonor, *Optatus* Mileuitanus, optatus, optimates, optiuus.

CORRIPIVNT penultimam *ombrici*, ombria, *ombrios* insula, *ometides*, ominor, *ommatius* omnicolor, omnigena, omnimodus, omnipara, omniparens, omnipotens, omniscius, omnitenens, omnituens, omniuolus, omniuorus, *omodamas*, *omole*, vide Homole & similia, omophagia, omoplatæ, omphacinus, omphacium, *omphalion*, onis, *omphale*, siue omphalee dicas, nam semper corripi debet secunda in omphalus, hoc est vmbilicus, onager, onagricus, oneraria nauis, onero, *[illegible]*, *onesimus*, *onesiphorus*, *onetorides*, *onias*, *onkelos* Rabbi, onobatis apud Cumæos


mæos adultera, onocardion, onocrotalus auis, *Onomacles*, *Onomacritus*, onomasticon, onychinus, opacitas, opalium, opalus gemma, *Opelicus*, operæ, operarius, operit, operor, operculum, *Opheimus*, *Ophias* nympha, *Ophiogenæ*, ophiomachus, *Ophioïdes* Amycus, *Ophionium* substant. *Ophiophagi* populi, ophioscorodon, ophiostaphyle, *Ophinsius*, *Ophelitus*, ophthalmia, ophathalmias piscis, ophthalmicus, ophthalmoscopia, opici, opifer, opifex, opilio, *Opimius*, opiparus, *Opistocoma*, opistographum, opistophylaces, opistotonus, opistotonicus, *Opiter*, *Opitergium* vrbs, opitulor, opium, opobalsamum, opopanax, *Opopeus*, oporice, oporinus autumnalis, opperior, oppessulo, oppeto, *Oppianicus*, oppico, piceillino, *Oppidius*, oppidò, oppidum, oppignero, opprimo, opprobrium, opprobro, oppositus, opsophagus, opsopolium, opsonium, optabilis, optica scientia, optici nerui, optimus, opusculum, & *Opuntius*.

OR. OR. OR.

PRODVCVNT penultimam orama, seu potiùs horama, hoc est visio, orata piscis, orator, *Orbanus*, *Orbana* dea, orbatus, *orbelus* mons, orbiculatim, orbile, *Orcinus* libertus, vnde & Orciniana Sponda, & Orcini proceres, orditus, *Ordouices* populi, ordinatus, *Oreas* nympha, *oresteus* adiectiuum, *Oretanus*, orexis, *Orgilaus*, orgyia vlna, origo, originale, *Orion* gigas, cuius crementum in prosa oratione produci semper debet, esto in carmine possit interdum breuiari, *oritæ* populi, orites gemma, *orithios* mons, *Orithyia* à Borea rapta, oriturus, *Orius* mons, orminum, seu potiùs horminum, ornator. ornatus, *orniatæ*, ornithon, & in plurali ornithones, ornithotrophium, *oroates* fluuius, *Orodes* Rex, *Oroëtes*, *Oronteus* adiect. *oropitum* vrbs, *oropus* vrbs Macedoniæ, *orpheus* adiect. *Orphnaus*, *Orsines*, orthoepia, orthogonus, *Orthogules*, *orthena*

melicratum, & similia, de quibus suis locis diximus: *Oxydates*, vt Phraates, Tyridates, & similia barbara.

CORRIPIVNT penultimam *Osaces*, oscines aues, oscito, osculor, osculum, *Oseas* siue Osee, & *Osias*, *Osimius*, *Osius* siue Hosius, *Osmylus*, osseus ab os ossis, ossifragus, ossilegus, *ossonoba* vrbs, ossuaria, osteologia, *Ostia* siue Hostia vrbs ad ostia Tiberina, ostiolum, ostium, ostocopus, ostreum saltem apud Latinos, ostricolor, ostrifer, *Ostrogothi*, quamuis aliqui geminare malint consonantem minus peritè, otalgia, otalgicus, *Otacilius*, *Othilia*, *Othobonus*, *Othomanicus*, *Othoniel*, *Othryades*, *Othrysius* siue Odrysius, *Otriades* Panthus, *Ottorocora*, ouatio, ouicula, *Ouidius*, oxalis herba, *Oxatres*, vt quidam, fortè tamen aptiùs produxeris; *Oxonium* vrbs Angliæ, *Oximum* vrbs, oxybaphus mensura, *oxydracæ* populi, oxygala, oxygarum, oxylapathum, *Oxylus* Ætolus, oxymel siue oxymeli, oxymorum, oxyphragus, oxyporum, oxytonus, *Ozias*, *ozolæ* populi, & ozymum seu ozimum, vt quidam scribunt.



PAB. PAL. PAN.

PRODVCVNT penultimam pabulator, pacalis, pacatus, *Pacatus* orator, *pachynus* promontorium Siciliæ, *pactolus* fluuius, *padæi* populi, *Paduanus* & *Paduinus*, *padusa* palus, pæanes hymni, pæanites gemma, pædagogium, & fortè pædagium, pædagogus, *Pæderotus* Heracliæ Thraciæ Episc. in Concil. Nicæno, pædia institutio, pædico, pædomathia, *pæstanæ* rosæ, paganus, *pagasæa* carina, pagatim, pagurus cancer, *Palæmon* grammaticus, *palæopharsalus* in Macedonia, *Palæstina* regio, *Palæstini* pop. palæstritæ, *Palamedes*, *palamedeæ* aues, *palara* auis, palaris, pala-

tim, *Palatinus*, palatum, *Palebothreni*, *Palici*, *Palicus*, *Palinurus*, paliurus, *pallanteum*, *Pallene*, *pallenæus* adiect. palliolatus, palmaris, palmata toga, palmetum palmosus, *Palmyrenus*, *paluda*, paludatus, paludosus, *pamisus* fluu. *pamphyli* pop. *pampelona* vrbs, panacea, *Panathenæa*, *Panchæus*, *Pandion* Rex Atheniensium, pandochium diuersorium, *Pandora* nympha, *pandora* populi, pandura, pandurizo, *panemus* mensis, *Pangæus*, pannosus, *Panomphæus*, *Panopea* nympha, *panopolita* Nonnus, *Panormitanus*, & *Panormites*, *Pantaleemon*, cuius crementum producendum minùs rectè docuit Gauantus, panselenum, *Panthea*, panthera, pantherinus, pantheres in plurali, pantocratorenus, pantomimus.

CORRIPIVNT penultimam pabulor, pabulum, *Pachomius*, *Pachymeres*, quæ vox Græca est, non barbara, pacifer, pacifico, pacificus, *Pacorus* Rex Parthorum, *pactia* insula, *pactias* mons, *Pactyas* Lydus, pactilis corona, *Pacuuius*, *Padua* vrbs, quæ olim Patauium, *Pæantius*. & *Pæanius*, *Pædaretus*, pæderastia, pæderos opalus, vnde pæderotinus color, pædophlebotomia, pædotriba, pægnium, *pæones* populi, *pæonia* regio, & pæonia herba, paganica, paganicus, *pagasa* vrbs, *Pagasus*, pagina, *Palæbibius*, *Palæologus* Imperator, *palæpaphus* vrbs Cypri, *Palæphatus* scriptor, *Palæmonius*, palæstinus, *Palætyrus*, *Palamas* Gregorius, *palamedica* volucres, palatha, id est ficus, palatium, palea, palear, *palentia* vrbs, *palibothra*, palilia seu parilia, palingenesia, palinodia, pallaca meretrix, *Palladas* poëta, Palladium Troiæ, *Palladius*, *Pallantias* aurora. *pallantia* vrbs, pallidus, palliolum, *palmaria* insula, palmaria pila, palmifer, palmula, *palmyra* vrbs, vt quidem eruditiores quique existimant, saltem si per y Græcum scribas, sunt enim qui Palmiram scribant per ei. palpebræ, *Palpetus*, *Palphurius*, palpito, paludifer, *pamia* siue Apamia vrbs Galliæ, *pammenes*, *pammerope*, pamphagus, *pamphilus*, *pam-*

phylia regio, *pampelo* seu pampilo vrbs, quæ à quibusdam pompeiopolis dicitur, pampinus, pampineus, panaces, *panada* vrbs, *panetius*, *panagius*, *panaretus*, panariolus, panarium sancti Epiphanij opus, *panathenaicus* Isocratis, pancarpia, pancarpium, *panchaia* regio, *panchaicus*, *pancrates*, pancraticè, pancratium, pancreas, pancreon, *pandaria* insula, *pandarus*, *pandataria* insula, *pandeletus*. pandiculor, *pandionius*, *pandosia*, *pandrosus* filius Cecropis, pandulus, pandurium, *paneas*, panegyris, panegyricus, *panelos*, *panemus*, paneros, *pania*, panicula, panicum frugis genus, panicus terror, panifex, panifica, *panium* vrbs, panniculus, *pannones* populi, *pannonia* regio, *pannonicus*, pannucia Baucis apud Persium, *pannychius*, *panope*, *panopeus* substantiuum, *panopolis*, *pantaces*, *pantenerus*, *pantagage*, *pantagathus*, *pantagias* fluuius, *pantaleon*, *panthalis*, Pantheon Romæ ab Agrippa exstructum, *panthoides* Euphorbus, *panthous*, vel contractè Panthus vltimâ longâ, vt id obiter moneam, *panticapes* fluuius, pantices, *pantilius*, pantographus, *pantolabus* scurra, pantologia, pantomimicus, panurgia, *panyasis* fluuius.

PAP. PAR. PAV.

PRODVCVNT penultimam papalethra, papatus, papauer, *Paphages* rex Ambraciæ, *paphagens* adiect. *papinianus*, *papyrianus*, papyrus, parabolani, parabolizo, paraclesis, *Paracletus* siue Paraclitus, eadem enim vtrobique ratio párque origo ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖσθαι: paradisus, patria paradisis, paradoxum, paragoge, parallela Plutarchi, paralleli circuli in sphæra, parallelus, paranete chorda in Harmonicis, parangaria, paranites, paraphernalis, parasceue, parasynagoga, parasemon, parasiopesis, parasitor, parasitus, paratus, paratura, paraueredus, pareas serpens, parentalis, parentela, paricida, paricidalis, parietina, parisosis figura, paritura, paricus apud Scaligerum, *parnethus*, parœcus, parotis, parricida,

parthaon, parthenia & parthenones ac parthe- neum, *parthenianus*, *partheniatæ*, *parthenopæus*, particulatim, partitus, parulis morbus, Paſchale feſtum, *Paſchalis* Papa, *paſibulus*, *paſquinus*, *paſſerinus* & paſſerinus, *paſſienus*, paſtoralis, paſtinaca herba & piſcis, patagiatus, *patalene* inſula, *patareus* per diphthongum, nam ſi per e ſimplex Patareus ſcribas, corripi debet, vt mox dicetur: *patauinus*, patefio, patena, ſic enim vulgò vt catena, habena, laniena, & ſimilia: *patera* ſacerdos Apollinis apud veteres Gallos, ex Auſonio & aliis, pathema, patriarchatus, patriarchalis Biturigum Eccleſia, patriarchium, patricida, *patroclides*, patronus, patruelis, pauitum ſolum à pauio quartæ, vnde & pauitor, paulatim, *paulianus*, *paulinas*, *paulinus*, pauoninus, paupertinus, *pauſilypon* villa Campaniæ ἀπὸ παύσεως τῆς λύπης, à curæ mœrorîſque ceſſatione, quantum ex Euripide colligi poteſt apud Athenæum, aliiſque coniecturis, quas in Theſauro Proſodico Græco-Latino fuſiùs expoſui, probauitque P. Ludouicus Caualli Franciſcanus, ac ſequutus eſt in Ianua Muſarum reſerata, & quidam alij, qui ſuas poſtea lucubratiunculas vulgarunt. De Payno menſe vix quicquam certi poteſt affirmari: libentiùs produco.

CORRIPIVNT penultimam papauereus, *paphageus* ſubſtantiuum, *paphiacus* ſeu Paphius à Papho, *paphlago*, *paphlagenes*, *paphlagonia* regio, *paphnutius* Abbas, papia lex, *papia* vrbs, quæ olim Ticinum, *papias* Grammaticus, papilio, *papilus*, *papinius*, *papius*, *pappolus*, papula, *papulus*, papyraceus, papyrifer, *papyrius*, parabalis, parabates, parabilis, parabola, parabolicus, paraclytus, id eſt infamis, famoſus, oppoſitus τῷ κλυτῷ, aiunt Lexica: nam *Paraclitus* Spi-

ritus ſanctus produci deberet, non ſecùs ac *Paracletus* ex Græco Παράκλητος, niſi iam à pluribus ſæculis inueterata apud Eccleſiaſticos ſcriptores obſtaret conſuetudo: de qua nos ſtrictim in Diſſertatione proſodicâ, & fusè Agnus Benignus Sanreyus Belnenſis in Burgundia Eccleſiæ Eccleſiaſtes peculiari opere quod inſcribitur PARACLETVS, parada, paradiſiacus, paradromis, parænéſis, paræneticus, *paretonium* oppidum Libyæ, vnde paratoniæ ſyrtes, paragraphus, Paralipomena, & genitiu. paralipomenon, ſi quidem Latino more proferas, vt fieri ſolet, quâ de re aliàs in Erudito ſacræ Scripturæ Lectore diſputauimus; paralion, parallelepipedum, paralogia, paralus nauis quædam, paralyſis, paralyticus, parameſe, paraphraſis, paraphraſticè, *parapotamia* vrbs, paraſiticus, paraſtades, paraſtatæ, paratragœdia, parazonium, parcitas, pardalios gemma, pardalis, pardalus, *Pardulus* Lauduni Epiſc. parecbaſis, paredri ſeu parhedri dæmones, parclion ſeu parelius, parentheſis, *parethronij* populi, pariculum, & paticulæ chartæ, *pariedros*, paries, pailis, *paripamiſada*, *Pariſij*, *pariſiacus*, pariſthmium, pariter, *parius* lapis, *parmenas*, *parmenides*, *parmenio*, *parmeno*, parmula, parnacides genus veſtium, *parnaſſius*, parochia, ſeu potiùs parœcia, parochus, parœmia, parodos, paronomaſia, paronychia, paronymon, *paropamiſadæ* populi, *paropamiſus* ſeu *parpamiſus* fluuius & regio Orientis, *parrhaſia* regio Arcadiæ, *parrhaſis* vrſa, *parrhaſius* pictor, particeps, participo, particula, *parthenio*, *parthenia* nomen proprium, *parthenius*, *parthenice* nympha, parthenon domus virginum, cuius crementum producitur, *parthenope* Neapolis, *parthenopolis*, *parthia* regio, *parthicus*, parturit, paruulus, *paryedri* montes, *paryſatis* Regina, vt quidam contendunt, *paſargadæ* populi, paſæolus, *paſchaſius*, *paſias*, *paſicrates*, *paſiphaë*, *paſiphaeius*, *paſiphile*, *paſiteles*, paſithea, *paſithoë*, *paſitigris*, *paſſalus*, paſſibilis, paſſulæ, paſtino, paſtinum, paſtomis, paſtophori, paſtophorium, vnde corrigas licet Italicam quandam Proſodiam, vbi penultima produci dicitur, ſcribitúrque per ei diphthongum: paſtorius, patagium, *patara* vrbs, *patareus* Apollo, *patauium* vrbs, patefacit & patefit, patera vas, *paterculus* Velleius, patheticus, pathicus, pathologia, *pathymias*, patibulum, patina, patinarij, patria, patriarchicus,

patrima proles ficut matrima, *patrobas* ad Rom. cap. 16. patrocinor, *patroclus*. patronymica, *patrophilus*, *pattala*, *patulcius* Ianus, patulus, pauera frumenta, pauicula feu pauiculum, pauidus, pauito à pauco, non verò à pauio, paupero, *Paufanias*, paufia vua, *paufias* pictor, vnde paufiacæ tabellæ, *Paufides* martyr, *paufilypon* fi vulgi audias fententiam & recentiorum quorundam fcriptorum decreta: *paufiftratus*. paxamatium feu paximatium, necnon paximas apud Ægyptios monachos.

PEC. PEL. PEP.

PRODVCVNT penultimam peccamen, peccator, peccatum, pecorinus, pecorofus, pectinatim, pectoralis, *Pectoratus* Nicetas, pecualis, peculatus, peculiaris, peculor, pecuniofus, *pedaus*, pedalis, *pedani* populi, pedatim, pediculofus, peditatus, pedulis, *pegafeus* adiectiuum, faltem fi originem attendas, peiero, *pelagianus*, pelargia, *peleus* adiect. pelicanus feu pelecanus, *pelides* Achilles, *pellaris*, *pellene* mons, pellitus, pellucet, *pelopea*, *pelopeus* adiect. *peloponnefus*, peloris, *pelorus* promontorium Siciliæ, peltatæ cohortes, *pelufiota* Ifidorus, *penates* dij domeftici, penetrale, *peneus* fluuius, vox enim verè triffyllaba eft, nec te fallat Virgilij verfus è quarto Georgicon libro, vfus enim Poëta eft fynærefi, vt ibidem in aluearia, aureo, otij, &c. peruicaces fi qui fint prouoco ad codices Græcos Πηνειὸς, &c. *peneis* vnda, penitus, id eft, caudatus, penita offa, id eft, porcinâ cum caudâ, authore Fefto, pennatus, *pennina* Alpes, penficulatè, pentadorus, pentagonus, *pentapolita* & pentapolitani, pentathlum, malè quippe dicitur penultima communis in Profodia Italica aliifque, cùm veniat ab ἆθλον contracto ex ἄεθλον, fic quoque Pentathlus

thlus dictus Eratosthenes ob omnis generis eruditionem, pentelores, *penthesilea* Amazonum Regina, *pentheus* adiectiuum, sic *penthides* Lycurgus potiùs quàm dissolutis mediis pentheides, penteres, penulatus, *peparethus* insula, *pepagomenus*, vt quidem nonnulli volunt, meliùs tamen, vt quidem modò arbitror, pepedit, *pepinus*, petrodes.

Corripivnt penúltimam pectino, pectitus, pectusculum, peçuaria, pecunia, pecuscula, pedaneus, & pedarius, *pedaria*, *pedasus*, *pediaria*, pedica, pediculi, pedisequa vel pedisequus. *pedius*, *pegaseus*, & pegaseius, *pegasides Musæ*, *pegasus* equus alatus, *pegeus*, pegmaticus, peiero, *pelagius*, *pelagones* populi, *pelagonia*, *pelagon*, pelagus, pelamis, pisciculus, *pelasgia* regio, *pelasgicus*, *pelasgiades* vrbes, *pelates*, *pelethronij* Lapithæ à Pelethronio monte, *peleus* substant. *peliacus*, *pelias* tum vir tum hasta, *peliades*, *pelion* mons Thessaliæ, pellacia placidi ponti, pellecebræ, pellicit, pellicula, pellucidus, pelliparæ manus, *pelopeius*, *pelopeiades* Mycenæ, *pelopidas*, *pelusiacus*, *pelusium* vrbs, *peneleus* subst. *penelope* Vlyssis vxor, *penelops*, *peneius* adiect. *peneides* vndæ, *penatiger* Æneas, pendulus, penetro, peniculus, peninsula, penitus tum aduerbium tum adiectiuum nomen, id est imus seu intimus, vnde penitissimus, pensiculo. pensilis, pensito, pentameter, *pentapolis*, pentecostarium Græcorum, *penthelicus*, penthemimeris, *pentheus* subst. *penthilus*, penula, penultimus, penuria, peperit, pepigit, *pepliades*, peplographia, pepones, pepulit.

PER. PET. PEZ.

Prodvcvnt penultimam peracer, percolo percolas primæ, *percope* & *percote* regio siue vrbs, percudo, *perdicas*, perdices, perduco, perduro, peredi, peregrinor, peregrinus, peremi, pereruditus, peresus, perexilis, perfacetus, perfeci,

perfodi præt. pergamena charta, *pergamenus* Galenus, *pergusa* lacus, *periboëa*, *pericletus*, periclum, periculosus, *peridia*, periegesis circuitus, periegetes Dionysius Alexandrinus, *perieres*, περὶ ἑρμηνείας, Aristotelis duæ sunt dictiones ab inuicem disiunctæ, quas aliqui ineptè coniungunt, *perilaus*, *perilleus*, *perimedeus* adiect. *perimele* insula, *perimedes*, *perimede* venefica, periodeutæ Medici, peripetia varius euentus, peripheria circumferentia, *periphetes*, peripsema, peristerotrophium, peristylus, peristroma, peritrachelum torquis, peritus, periturus, periurus, perizoma, perlabor, permano, permisi, permuto, pernicialis, perniciosus, *perona* seu parrona Scotorum Galliæ vrbs ad Samaram, peronatus, peroriga seu petoriga qui equos admittit, peroro, perosus, *perpinianum* vrbs, *perpinianus*, perpolitus, perpoto, perquiro, perquisitor, *perseis*, *perseus* adiect. *persida*, *perrhabi*, perscribo, perscrutor, persecutor, persequutus, perseuero, persona, personatus, perspectiua, persuasor, persuasus, pertæsus minùs emendatè pertesus, pertusus, peruenor, peruestigo, *perusinus*, *perunianus*, *pessinus* Phrygiæ vrbs saltem vt nonnulli contendunt, petasites, petasitis, petaurum, petigo morbi genus, petila crura, petitus, petitor, *petora* vrbs, *petosiris* strologus quidam, *petræa* regio, *petrinum*, *petrocus*, petroma, *petronas* seu petronax dixeris, petricosus seu potiùs pertricosus in versu quodam Martialis, *petreius* vox trisyllaba, petroselinum, petrosus, pexatus & pezitæ fungi quidam.

Corripivnt penultimam perago, peragro, peramo, peraro, *peratus*, percipit, percitus, percnopterus auis, percolo percolis tertiæ, *percosia* regio, percrebuit, perculit, percutit, perdecet, perdidi, perditus, perdius, perdocet, perdomat, perdolitum est, peredo, peregrè, peregrinitas, perelegans, perendino, perendinus, perennitas, perfacilis, perficit, perfidus, perfodit præsentis, perforo, perfrico, perfuga, *pergameus*, *pergamus* aut pergama in plurali, pergraphicus, pergula, perhibet, perhospita, peribolus, pericardium, pericarpium, *pericles* Orator, *periclymenus*, periclysis, periclitor, *periclytus*, pericranion, periculum, peridromus, periergia curiositas, perimo, perimetros, *perinthius*, periocha, periodicus, periodus, *peripatetici* philosophi, peripatus ambulacrum, *periphanes*, *periphas*, periphrasis, periphrasticus, periploca, periplus, peripneumonia, peripneumonicus, periptera, periscelis, peristereon, peristylium, & peristylus, quamquam hoc vltimum possit etiam produci vt in Thesauro Prosodico Græco-Latino nuper recuso docui, peritrochium, peritrochus, perlego, perlegis, perlepidus, perlino, permanet, *permesserus*, *permessides*, permolo, perniciter, pernio, pernicies, perpendiculum, perperam, *perperi* fratres, perpeti, perpetim, perpetro, perpetuitas, *perpetua* martyr, *perpetuus* Arch. Turouensis, perpetuo verbum & aduerbium, perpolit, perpulit, persea arbor, *persephone* Proserpina, *persepolis* vrbs, persequor, persica poma, *perseus* si dissoluas diphtongum penultimæ insidentem, *perseus*, personus, perspicacia, perspicax, perspicit, perstino, perstitit, perterricrepus, pertica, pertinax, pertinet, pertolero, peruersitas, peruetus, peruicax, quamquam à vici deriuent nonnulli, peruigil, peruigilium, peruolito, *perusia* seu perusium vrbs, *perusia* regio, pessimo, pessimus, *pessinus* vrbs à qua *pessinuntius*, pestifer, pestilens, pestilitas, pessulus, pessumdatus, *petale*, *petalus*, petalum lamina in in summi Pontificis infula, petaminarius, petaso perna, petasunculus, petasus pileus, petauristicus, *peteon* vrbs, *peteron*, *petilia* vrbs, petimen, petiolus, petoritum, *petracorij* seu petragorici, ita enim fert vulgaris pronunciatio, petrinus culter Iudæorum apud S. Augustinum, petroboli, *petrocorij* quorum vrbs olim Vesunna, petroleum, *petronius*,

petulans, *peucanees* populi, peucedanum herba, & *peucetia* seu Peucetij sinus Messapiaque arua.

PHÆ. PHA. PHE.

PRODVCVNT penultimam, *Phaeaces* populi, *phaeacus* adiectiuum pro phæacius, phæcasiatus, *phædonis* à phædon dicendum est, quidquid ex versu quodam Sidonij Apollinaris præscribant nonnulli, Græcè enim semper per *o* longum scribitur, vt suo loco docuimus, *phaëthonteus* adiectiuum, *phaëtusa* soror phaëthontis, phagedæna morbus, non phagedena, *phaïnus* Astrologus qui in prima editione extra proprios cancellos librarij incuria fuerat deportatus, phalangites herba, *phalera* portus Atheniensis, vnde, vt vsurpem iambicum Phædri, *Demetrius qui dicitur Phalereus*, phaleratus, phaleucus vel phalæcus, non verò vt quidam scripserunt phalecus penultimâ siue longâ siue breui, *phalora* vrbs, *phanaces* apud Ausonium seu potiùs phanates: *phanaeus*, *phanagorea* vrbs, phanerosis, *phanodemus*, *phaoti*, pharetratus, pharias serpens, seu potiùs pareas, *pharisæus*, *pharitæ*, pharocantharea, pharmacopœa, pharmacopola, *pharmacusa*, *pharmuthi* mensis apud Ægyptios, *pharnuchus*, *pharsalus* vrbs, *phaselinus*, *phasaëlis* vrbs, *phaselites*, *phaselis* vrbs, *phaselus* seu phasaëlus, phaselus nauigiolum & leguminis quoddam genus, *phasianus*, phasianus auis, *phasimelus*, *phatures*, *phauorinus*, *phegeus* adiectiuum, phengites lapis, *pheræus*, *pherbatas*, *pherecleus* adiect. *pherecydes* Tragœdus, *pherendates*, *pherenice*, *pheresæus*, *pheretimus*,

pheroras apud Iosephum, & *pherbatas* seu *pherbates.*

Corripiunt penultimam *phacee* & *phaceias* Reges Israëlis, *phæacia* regio, *phæacius*, phæcasium calcei genus, *phadimus*, phænagora, *phænicia* seu potiùs phœnicia regio, *phæocomes*, *phaëthon* Apollinis filius, *phaëthontides* & per epenthesim phaethontiades sorores phaethontis, phagedænicum vlcus, phagesia, phagolœdorus seu phagolidorus, neque enim à δῶρον vt imperiti quidam existimant, *phaïnus* Astrologus, vt quidam existimant, phalacrocorax, phalangarius seu palangarius, phalangium, phalarica, *phalaris* Tyrannus Agrigentinus, *phaleris* vir quidam nono Æneidos, phaleræ ornamenta equorum, *phalereus* Demetrius si dissoluas, vt fieri solet, nec, quæso, te indocti suas in partes obtorto pertrahant collo, & diphthongum inscribas penultimæ, *phalericus*, *phaleucium* carmen, *phamenoth*, phanaticus, *phanias*, *phanicum*, *phanocles*, *phanagora*, *phanuel*, phantasia, phantasticus. *phantasus*, *pharao*, *pharaoniacus*, *pharaton*, pharetra, phaticon, *pharion* insula, *pharisaicus*, *pharius*, pharmacotriba, pharmacopolium, pharmacotrophi, pharmaceutria, pharmacum, *pharnaces*, *pharsalia* regio Thessaliæ. *pharsalicus*, *pharusij* vel phaürusij populi, phaseolus, phaselicus, phasganium, *phastas* Medea, *phasiacus*, phasides aues, *phegeus* substantiuum, *phelethi*, phellodrys, phellopodes Luciani in vera Historia, *phemonoë*, *pheneus* lacus Arcadiæ vox trisyllaba, *pherantiades* seu pheretiades Admetus, *phereclus* seu pherecles, *pherecrates* poëta, *pherecratium* carmen, *pherecydiacus*, pheretrum seu feretrum.

PHI. PHOE. PHY.

Prodvcvnt penultimam *Phicion*, *phicolus* Corinthius Lyci filius, *phidolas* cuius equa celeberrima apud Pausaniam, *phigalea*, *philadelphia* vrbs, de qua voce, ne, quæso, Calepinum consulas, Gauantum, similésque Græcarum literarum parum peritos, philalethes, *philamon*, *phi-*

lanor, philanthropus, *philebus* apud Platonem, *philemon*, *philetærus*, *philetas* poëta, *philetus* adiectiuum, philiater seu philiatrus, *philinus*, *philippeus* adiect. vnde philippei nummi, phillitis herba, *philoctetes*, *philodamus* & *philodemus*, *philodulus*, *philolaus*, *philomela* vxor Terei, philomela auis, *philomelum* vrbs, *philomelus*, *philometor* Ptolomæus, philomusus proprium & appellatiuum, philonicus, *philopemon*, *philopœmen*, philopolites, *philoromus* martyr, *philotas*, *philotheorus*, *philotherus*, *philotimus*, *philyreus* seu philyræus adiectiuum, *phineus* adiect. & *phinides*, *phlegethonteus* & *phlegræus* similiter adiectiua, phlegmagoga medicamenta, phlegosis, *phobetor* vnus è filiis somni, *phocæa* vrbs, *phocæi* populi, *phoceus* seu potiùs phocæus Pylades, *phocusa*, *phœbeus* adiectiuum, *phœnices* populi & aues, & palmæ, *phœnicon*, *phorbinus*, *phorcynis* Medusa, *peroneus* adiect. *pheronides*, *phoronis* Io, *photinus* hæreticus, *photinianum* dogma, *phraates* Parthorum Rex, *phrauitas* Gothus, phrenesis seu phrenitis, licèt Serenus Samonicus corripuerit, *phricotis Cumæ*, phronesis prudentia, *phryconis* vrbs, *phryxeus* adiect. *phthiotis*, phthiriasis, vt de similibus nominibus in ασις à verbis in άω descendentibus obseruauimus in Elencho seu Thesauro Prosodico Græco-Latino, quidquid Baptista Mantuanus, & nouissimè Bononienses, aliíque fortè iis recentiores scripserint, phycites gemma, *phycusa* insula, phygadotheræ, *phygalea*, *phylaceus* adiect. *phylides*, physeter, & in plu-

rali physeteres pisces, & physiognomon seu physiognomus, necnon *phytia* vrbs.

CORRIPIVNT penultimam Phiala, *phidias* sculptor, *phidiacus*, *phidile*, philadelphia, id est fraternitas siue amicitia fratrum, *philadelphees* seu philadelphij populi, *philagrius*, *philagrus*, *philandrides*, philanthropia, *philaretus*, philargyria, *philargyrus*, philautia suiamor, *phileas* licèt repugnet nonnemo, *phileros*, *philippicus* proprium & adiectiuum, *philippides*, *philippopolis*, *philistides*, *philistion* Mimographus, *philochares*, *philochorus*, *philocles*, *philocrates*, *philomatius* & *philematium*. philocalia, philocalus, *philocyprus*, philocharis, *philocomasium*, philologia, philologus, *philomathus*, *philopator* Ptolemæus, *philomenus*, *philoponus*, philosophor, philosophia, philosophus, philostergia, *philostephanus*, *philostratus* Sophista, *philopœmenes*, philosomatus, philostorgia, *philoterus*, vt censent nonnulli, *philoxenus*, *philothea*, philotheus, *philyra*, *philyres* populi, *philyrides* Chiron, & metri causâ phillyrides, *philyreius*, *philumena*, philuranus, *phimachus*, *phinees* filius Eleazari, *phineus* substantiuum, phlebotomia & phlebotomus, quorum prima solâ necessitate producitur, ne te aliorum indices fallant, *phlegethon* fluuius inferorum, *phlegethontiaci* lemures Martiali, *phlegeus*, phlegmone, *phlegyas* socius Thesei miserrimus, *phliasij* populi, phlyacographus poëta nugarum scriptor, *phocaicum* littus, *phocais* iuuentus, *phocion* Atheniensis, *phocylides* poëta, *phœbidas*, phœbigena Apollinis filius, *phœbeius*, *phœmonoë*, *phœnicia*, phœniceus seu phœnicius color, *phœnicides*, phœnicopterus auis, *pholegandrius*, *pholoë* mons, *pholoëticum* monstrum, *phonolenides* apud Ouidium, *phormio*, *phoroneus* Rex Argiuorum, *phosphorus*, *photides* martyr, *photius* Patr. CP. *phoxidas*, phreneticus, *phronesium*, *phrygia* regio, phrygio, phrygionicum opus, *phrygius*, *phrynichus* Grammaticus, phthioticus, *phthirophagi* populi, & ex Mantuano minùs rectè phthiriasis, phthisicus, *phylaca* vrbs, *phylace* mater Chironis, *phylacides*, phylacterium, *phyleus* substantiuum, *phyllidas*, *phyllodoce*, physica, physicus, physiognomonia seu physiognomia, physiologia, physiologus, *phyromachus*, *physsalus*, *phytalus*, physaulicus, phytographus.

PRODVCVNT penultimam piacularis hostia, piamen, picatus & piccatus, *picenum* regio, *picentini* & *piceni* populi, *pictauum* vrbs & pictaui populi, esto, repugnent nonnulli, quos refellit Ausonius illo iambico; *Imago Rufi Rhetoris Pictauici*, pictura, picturatus, picturo, pigredo, pilanus, pilatim, pilatus & *Pilatus* iudex, pileatus, *piletus*, pilosus, *pimplea* fons, *pimpleus* adiectiuum, pinacotheca, pinetum, pinguedo, pinnatus, *pinnosa*, pinnotheres pisciculi, *pinytus* martyr, saltem si Gauantum audis, cui haud facilè in Græco-Latinis fidem adiecerim, *pipinus* Francorum Rex, piperitis herba, *piræus*, vel in plurali piræa Ouidio, *piræus* adiectiuum πειράϊος à πειραιεύς pirata, *pirene* fons, *pirenis* Ephyter siue Corinthus, *pisatis*, piscator, *piscena* vrbs, piscina, piscosus, *pisatæ* & *pisæus* adiect. à Pisa vrbe Elidis, vnde Pisæa oliua, & Pisæus annus apud Papinium, *pisanus* à Pisis vrbe Tusciæ, *pisaurum* vrbs, *pisenor*, *pisidorus*, pissoceron, pistrinum, *pithecusa* insula, pithecus id est simia, *pitheus* adiect. vnde pithea seu pitheis Trœzen, *pithenor*, pithœgia dies festa apud Athenienses, *pithodemus*, *pitholaus*, pituita, pituitosus, *pityea*, pityrosus panis id est furfuraceus, *pityusa* insulæ, pityusa arbor, placamen, placatus, *placentinus*, *placideianus*, *placidina*, placiturus, placoton, plagosus, planeta apud Ecclesiasticos, & planetæ in cælo errantia sidera, plantago, plantares alæ, *planudes* Maximus, plasmator, *platææ* vrbs, quæ Græcis numquam scribitur per ει, quod docent

cent Indices Italici, sed per *αι*, *platamodes*, platanetum, platea, id est vicus, licèt corripuerit licenter alicubi Horatius, quod tamen nemo cordatus imitandum sibi proponet in prosa, vt de chorea, cyclopeus, ac similibus ostendimus suo loco commodiùs, platycerotes, plaustrilucus, cuius penultima ineptè corripitur Martiano Capellæ, *plautini* numeri, plebeius vox trisyllaba; plebiscitum, *plecusa*, plenitudo, plerique, plethora, id est nimia copia, vox Medicis etiam Latinis vsitata, *pleuratus*, pleuresis vel pleuritis, quæ licenter corripitur Prudentio, vt multa alia, *plistonax* contractum haud dubiè ex plistoanax, *plistonices* vel plistonicus Medicus, plocatus, plocatrix, *plotine*, *plotinus*, plumbago, plumbatæ, plumbatura, plumatus, plumosus, pluratiuus; pluralis, pluuiale, pluuialis, pnigitis.

Cor. penultimam piabilis, piaculum, picea, piceus & picinus, picrocholi, *pictauicus*, *pictones* populi, *pictonicus*, *pielus*, *pieria* regiò, *pierides* Musæ, *pierus* Musarum patèr, pieras, pigitum, pignoro seu pignero, pigrito, vt quidem habent hymni etiam pronuper emendáti, à pigreo quippe dimanat, non verò à pigrio, vt sciolos quosdam obiter moneam, pigritia, pigerrimus, pilicrepus, pileus, pileolus, pilula, *pimpleides* seu pimpleiades Musæ, pinaces, id est tabellæ, pinacidium, pinacographus, *pinarea* domus, *pinarus* fluuius Ciliciæ, *pindarica* odæ, *pindarus* poëta Thebanus, *pindasus*, pineus, pinifer, pinniger, pinnaculum, pinnirapus, pinnophylax, pinsitò, pinsitor, *pinisa* vrbs, *pinytus* Martyr ex vulgari consuetudine, *piperion*, pipilo, non tamen pipito, quod a pipio quartæ videtur descendere, piraticus, *piræeus* portus Athenarum, *pirithous* & per contractionem pirithus comes Thesei, *pisciacum*, pisciculus, *pisias*, *piside* populi, *pisidia* prouincia, *pisistratus* tyrannus Athenis, *pisistratida*, pistacium nucula, pisticus, pistoria ars, *pistoia*

rium vrbs, *pitane* vrbs, *pitheus* auus Thesei, *pitholeon*, pittacus vnus è septem Sapientibus Græciæ, pittacium & pittaciolum, *pitthe us* adiectiuum poëticum, placabilis, *placentia* vrbs, placidus, *placidus* Eustachius, placitus, plagiarij, plagium, plagipatidæ, plagula, *plagusiæ*, *planassa*, *planasia*, planiloquus, planipes, plantarium, plastice ars, plataninus, platanon, platanus, *platea* locus Hispaniæ, platea seu platalea auis, *platina* Historicus, vt quidem vulgò fermè omnes pronuntiant, licèt ita dictum voluit à loco quodam in agro Cremonensi, platoniæ ac platinæ in rebus Ecclesiasticis, *platonici* philosophi, plausito, plebecula, plectilis, plectripotens, pleias & in plurali *pleiades*, *pleione*, *plemmyrium*, pleraque, pleuriticus, pleuritides, *pleuronius*, plicabilis, & plicatilis, *plinius*, plinthides, plistarchia, *plisthenes*, *plisthenius*, *plistoanax* Rex Lacedæmoniorum, plistolochia licèt dubio locus esse possit, plocamus apud Lucilium, plorabilis, *plotia*, *plotius* seu plautius, ploxemum capsa vox vsurpata Catullo aliisque, *ploxenus*, plumaceus, plumatilis, plumipes, plurimus, pluteus, *plutio*, *plutonius*, pneumatici, *pneumatius*, *pneumatomachi* hæretici, pneumone, pneumonicus.

POC. PO. PO.

PRODVCVNT penultimam pocillator seu poculator, podagrosus, *podalea* vrbs, poderes seu poderis vestis talaris, *podetus*, poëma, poësis, poëta, pœnitudo, *pogonatus* Constantinus Imp. pogonites, *polachi* populi, polaris, *polenor*, *poliorcetes* Demetrius, *polites*, politia, politus, politura, *pollentinus*, pollinctura, *pollita*, pollubrum, pollucet, pollutus, *poloni*, *polyæmon*, *polyænus*, *polyaratus* . *polybetes* & *polybotes* Gigas, *polycaon*, polycandelum, *polyclea*, *polycletus* sculptor & polycleteus adiectiuum, polycremon, *polyctetus*, *polydamanteus* adiect. *polydæmon*, *polydencea*, *polydorus* & *polydoreus* adiect. *polygiton*,

polygnotus pictor, polygonoides, *polyidus*, polygonus ab angulis, polymathia, vt sæpiùs, potest enim breuiari, non secus ac alia deriuata ab adiectiuis primæ contractorum in iis quæ formantur ex verbo μανθάνω. Vide Thesaurum Henrici Stephani, *polymnea* seu polymneia Musa, si non dissoluas, polymytha, sic enim scribendum apud Martialem, non polimita, polymythus id est loquax, *polynices* Oedipi filius, *polyorcetes*, si sic liceat scribere] *polypemon*, *polyphemon* & *polyphemus* Cyclops, *polyphides*, polypogon, polyposus, polyptoton, polystylus à columnis polysemus, *polytimetus* fluuius, *polytimus*, *polyxo*, *polyzelus*, *polyzonus*, *pomerani* populi, pomeridianus, *pomona* Dea, *pompeianus*, *pompeius*, *pompeij* vrbs, *pompelona* siue pampelona vrbs, ponderosus, pontificalis, *pontilianus*, *pontina* paludes, *pontinus*, pontogephyra, popina, popino, popinones, *poppæa*, *poppæanus*, popularis, populator, populetum, populosus, porcinus, porculator, porculetum, porphyrites lapis, *porphyrogennetes* seu porphyrogennetus aut porphyrogennitus (sic enim doctissimi viri Constantini, aliorúmque Imperatorum cognomina Græcæ origini propiùs Latinè reddiderunt) *porphyrogenitus* enim penultima breui, vt passim iactitant, vocem iam inde à Luitprandi Ticinensis temporibus Latio donatam, licèt damnare non ausim lege de Peregrinis, cùm ex *porphyra* palatio CP. & verbo *gigno* deriuari possit, fateor tamen libentiùs me eorum partes sequi, qui tritam vulgò pro-

nuntiationem deſerunt, porrigo nomen, portulaca, *porſena* Rex, ſeu porſenna, de quo infrà, *portunus* Deus, portuoſus, *poſides* ſpado, *poſideum* vrbs, poſiturus, poſſedi, poſſimus, poſſitis, *poſthumianus*, poſticus, poſticum, poſtilena, poſtpono, poſtremus, poſtridianus, potamogiton herba, *potentianus*, *potentinus*, *potidæa* vrbs, *pothinus* Epiſcopus Lugdunenſis & Martyr, qui malè quibuſdam Photinus dicitur, *potina* Dea, potitus, potiris & potitur ſaltem in ſoluta oratione; quam in rem videſis facetam atque elegantem ſancti Auiti Viennenſis Præſulis epiſtolam, vt vel inde faſtidioſi diſcant minutias iſtas proſodicas ſummis viris quandoque placuiſſe.

Cor. penultimam poculum, podager, podagra, podagricus, *podalirius* Medicus, *podium* vrbs, podium, *pœantius*, *pœcile* Stoicorum porticus Athenis celeberrima à ποικίλος variegatus, *pœmenis*, corripiuntur enim obliqui caſus nominis *pœmen* ποιμὴν paſtor, & ab eo deriuata, quod non omnes ſciunt, identidémque inculcandum tyronibus, pœnitet, pœnitens, poëticus, poëtria, pogonias cometa barbatus, *polemocrates*, polemoniacus pontus, *polemon*, *polemonium* vrbs, *polemonias*, *polemus*, *polio*, polion ſeu polium herba, politicus, *pollentia* vrbs Liguriæ, pollicitus, *pollio*, pollucibilis, pollulum, *polonia* regio, *polyæmonides*, polyandrion apud Pauſaniam, Ælianum, Greg. Naz. Suidam, alios, *polybius*, *polybus*, *polybotus* à βόσκω, *polychares*, *polychronius*, polychronus, *polycleticus* adiect. *polycrates* tyrannus Samiorum, *polycraton*, *polycritus*, *polyclorides*, *polydamas*, & in verſu pulydamas, polygala, polygamia, polygamus, polygonaton & polygonon herbæ, polyhiſtores multiſcij, *polyhymnia* vel polymnia Muſa de qua ſuprà, *polyidas* vt quidem vulgò exiſtimant, at docuimus in Elencho Proſodico ſeu Theſauro Græco-Latino aliiſque in locis produci ab Homero libro Iliados duodecimo, idque non

semel, polymita vestis, *polyochus, polypemonides, polyphagus,* polypodion, polypragmones, polyptychum, polypus piscis & morbus, *polystephanus*, *polystratus*, polystylus, polysyllabus, polysyllabicus, polysyndeton, *polytion*, polytrichon herba, polytropus, errant qui primam productam à Mantuano velint addito L, cùm potiùs legendum sit poulytropum, seu *Pulitropum vates dixit Smyrnaus Vlyssem*, *polyxena* filia Priami, *polyxenus*, *polyxenidas*, pomarium, *pomeranus* regio., *pometij* vrbs, pomifer, pomœrium, *pompelon* vrbs seu pompilo, quæ etiam dicitur pompeiopolis, *pompeius*, si dissoluas penultimam, pompholyx, *pompilius*, pompilus piscis, quamquam in Halieuticis Ouidio tributis producta reperiatur penultima, quid verò si geminanda sit apud illum liquida? *pomponius*, pondero, poneropolis, *ponticus*, vt vulgò, *pontia*, *ponticus* à ponto, ponticulus à ponte, pontifex, *pontiniacum* Abbatia, *pontisara* vrbs, quæ corruptè in Tabula Peutingeriana dicitur pontisura, *pontius*, popanum, *popilius*, popinarius, *poplicola*, populabilis, populeus, populifer, popularitas, populariter, populo & populor, *populonia* vrbs, *populonius*, populus plebs & arbor Herculi sacra, *porcarius*, porcarius, porcetra, quemadmodum excetra, *porcia*, *porcius*, porgite & porgere concisa, ex porrigite & porrigere, porphyreticus, porphyriacus; cuius secunda haud sola, vt quidam aiunt, necessitate metrica producta est ab Ouidio, vt pluribus alio in loco docuimus, *porphyra* palatium Constantinopoli, vnde Porphyrogenitos volunt dictos Constantinum filium Leonis Sapientis aliósque Imperatores Græcos, & similia à πορφύρα purpura, *porphyrion* vir & auis quædam, *porphyrius* philosophus, cuius vocis secundam in Duce quodam Porphyrio corripuit Mantuanus Græcæ linguæ ac prosodiæ parum peritus, quem excusare potest vnius quod sciam Martialis exemplum epigr. 78. libri 13. porraceus, porricit, porrigo verbum, *porrima* Dea Postuortæ seu Postuentæ soror apud Ouidium libro 1. Fastorum, *porsena* Rex Hetruscorum cuius penultima poterit etiam si volueris, produci aut naturâ aut altera mutabili addita, vt nonnulli præscribunt, portaticum, portatilis, porticus, portito, portitor, portorium, *posideon* mensis apud Athenienses, *posidius* & *posidonius*, positus, possibilis,

COR. penultimam *Tiberias* vrbs, vnde lacus seu mare Tiberiadis, *tiberis* fluuius, *tiberius* Imperator, tibia, tibicina, non tibicen, tibimet, *tibricola*, *tiburtius* Martyr, *ticidas* poëta, *ticinus* Medicus, immò potiùs Ticinius vel Titinius apud Serenum Samonicum, *tigellius* cantor, *tigides* Martyr, tignifer, tigrinus à tigribus, *tigurum* vrbs Heluetiorum, quæ modò Zurigum, tilia, *timachidas*, *timenetus*, *timagenes*, & vt quidam censuerunt, etiam *Timagetes*, vt Musagetes &c. *timagoras*, *timarchides*, *timarete*, *timeas*, timidus, *timochares* siue Timocharis, *timocles*, *timocrates*, *timocreon*, *timodemida*, *timoleon* Dux, *timomachus* pictor, *timophanes*, *timosthenes*, *timotheus*, *tinias* fluuius, tinctilis, tinea, tintino, tintinnabulum, tintinnaculus, tinnulus, *tinurtium* vrbs, tipula, *tiresias* Augur, tirocinium, *tirolis* locus & regio, tirunculus auis & diminutiuum à tirone, *tirynthius* Hercules, *tisagoras*, *tisamenus*, *tisimane* & *tisimanes*, *tisiphone* vna è Furiis, *tisiphonus*, *titania*, titaniaci dracones Ouidio, *titanicus* & *titanius*, titanomachia, *titanus* fluuius, mons, vrbs, *titharesius* adiect. *tithonia* coniux Aurora, *ti-*

thora, *tithorea* vrbs, *titius*, titubo, titulo, titulus, *tityrus* paſtor, *tityus* Gigas, *tlemonidas*, *tlepolemus*, *tlesias*, *tmolia* terra, *tobias*, *tochari* populi, togula, tolerabilis, tolero, *tolistoboij* populi, *tolmidas* ſeu *tolmides*, *tolophon*, *tolumnius*, tomaculum, *tomarus* mons, tomice ars, *tomyris* regina Scythiæ, *tongilius*, tonitrus ſeu tonitru ac tonitruum, tonſilis, tonſito, tonſtricula, toparchia, topazion, tophaceus & tophinus adiectiuum à tophis, topia, topiarius, topicus, topica Ariſtotelis & Ciceronis, topographia, topographus, topotheſia, torculus ſeu torcularius funis & torculum, atque ex eo deriuatum haud dubiè torcular, vt eruditiſſimi homines autumant, breuiántque non ſecus ac ſpecular, toreutice ars, *torini* populi, tornatilis, torpidus, torridus, tortilis, torulus, totidem, *totilas* ſeu Totila rex Gothorum, toxicum, *toxici* populi.

TRA. TRO. TRY.

PRODVCVNT penultimam trabalis, trabeatus, trachea arteria, trachones, *trachonitis* regio, trachurus piſcis, tractatus, traduco, tragœdus, tragema, tragopogon, *traianus* Imperator, traieci, *traiectinus*, tralatus, *trallianus*, tralucet, tranſalpino vox ſancto Bernardo aliiſque vſurpata, *tranſalpina* Gallia, *tranquillinus* Martyr, tranſcribo, transfigo, transfiguro, transfuſus, tranſmarinus, *tranſpadana* regio, tranſpono, tranſſumo, *tranſtiberinus*, trapetum, trapezita menſarius, *trapezuntinum* Imperium, *trapezus* vrbs Ponti, *trebonianus*, *trecaſſinus*, treceni, trieteres, triangularis, tribulis, tribulator, tribunal, tribunatus, tribunus plebis, vel militaris, tributim, tributum, tributus, *tricaſſini* & *tricaſtini* populi Galliæ, triceni, trichilum ſeu trichile vas tria habens labra à χεῖλος, nam de verſu Columellæ

maxima

maxima lis, trichorum, *tricipitinus* Lucretius, *tricoloni*, tricolos ode, tricosus, *tricrana* insula, triduanus, trieres nauis, *tridentinum* Concilium, trieteris spatium trium annorum, *trifolinus* ager, *trifolinum* mons, triglites gemma, trigonum, trilibris, trilices loricæ, trilores, trinodis, triobolaris, triones seu teriones, *triopeis*, tripertitò, *triphene* Martyr 31. Ianuarij, *triphina* Martyr 5. Iulij, *triphita*, *triphylis* pars Elidis in Peloponneso, triphylus, *tripsychus*, triptoton, triremis, trissago herba, *tritanus*, *tritonis* Latona, tritura, trituro, *triturita* villa in Itinerario Rutilij Numatiani, triuialis, *triuicus* vrbs, triumphalis, triumphator, triumphata Corinthus, triumuiralis, triumuiratus, trochæus pes metricus, *træzenus* adiect. à Trœzen, cuius crementum producitur, troglites passer, *troianus*, trophæum seu tropæum, tropæus, trucido, trusator, *tryphiodorus* Poeta seu Martyr, *tryphosa* Martyr.

Cor. penultimam trabea, *tracalus*, *trachinius* à Trachin, tractabilis, traditor, traditus, traduces à tradux, tragelaphus hircoceruus, tragicomœdia, tragicus, tragion herba, tragœdia, tragœdiographus, tragomaschali, tragopanades, tragoriganon, tragula, traiicit, tralucidus, tralatitius, *tranium* vrbs, *transaqua*, transfero, transforo, transfreto, transfuga, transiicit, transgredi, transigo, transilis, *trasilo*, transitio, transitus, transmigro, transnato, transuador à vadum, transuerbero, transuolo, trapezorhetores, *trebatius*, *trebellius*, *trebia* fluuius, *trebonius*, *trebula* vrbs, tredecim, tremefacit, *tremulus*, tremulus, trepido, trepidus, tresuiri, *treuidos* seu Treuidon apud Sidonium, *treueri* seu Treuiri populi, *treuericus*, triangulus, tribula seu tribulum, tribulo, tribulus herba, tribrachys pes metricus, *tricala* vrbs, tricennium, tricephalus, tricesimus, seu trigesimus,

trichila, trichilum vas ex quorumdam sententia, de qua suprà, *trichinas*, cuius penultima imperitè à nonnullis producitur, cùm veniat à τρίχινος pilosus, cuius penultima haud dubiè Græcis breuis est, trichomanes herba, non trichomenes, quæ se in folia quasi in capillos longissimè effundit, trichorium, tricies, triclinium, *triclinia*, tricongius, trieterica sacra, tridentifer Neptunus, triferus, trifidus, trifolium, trifurcifer, triglyphus, trigonometrum, trigonometria, trihorium, trigamus, trigamia, trigesimus, *trimalcion*, trimeter, trimodius, trimulus, *trinacria* Sicilia, *trinacris* ora, *trinacrius*, trinitas, *trinius* fluuius, trinominis, trinundinum, triobolus, *triocala* vrbs Siciliæ triodium Græcorum liber, *triopas*, *triopia*, *triphorus*, triplicabilis, triplico, *tripolis* vrbs, tripolium herba, *triptolemus*, tripudio, tripudium, triquadrum, triquetra insula, trisagius hymnus siue trisagium, triscurria, tristega, tristificus, tritauus, quasi tetrauus siue quartus supra abauum, triticeus, triticum, *tritonia* Pallas, triuenefica, *triuia* Hecate, triumuiri, *troades*, trochilus auicula, quamquam sint qui penultimam Græcè quoque circumflectant, trochilion, trochlea, *troezenius* ab vrbe Peloponnesi, *troglodytæ* populi in cauernis habitantes, *troglodytes* mus in Batrachomyomachia, *troglodytica* regio, *troscus*, *troilus* vnus è filiis Priami, *troïus* vox trisyllaba, vnde Troïa gaza primo libro Æneidos, *troiugena* Helenus, *tropeas* Martyr, *trophimus* Episcopus, *trophonius* Augur, tropicus, tropologia, trossuli equites, trossulus, *trossulum* oppidum, troximos, id est edulis seu vesca vua, trunculus, trusatilis mola, trusito, trutina, trutino, trutissatio, tryblium, trygones aues & pisces turtures & pastinacæ, *trygonion* mulier turturilla, tryginum atramentum ex fæce, trygodæmones Poëtæ peruncti fæcibus ora.

TV. TV. TY.

PRODVCVNT penultimam tuberosum guttur, tuburcinator, tucetum, *tudinus*, *tullianus*, tumultuosus, *tunetum* vrbs Africæ prope Carthaginem, *tunetanus*, tunicatus, turbator,

turbela, *turdetani* populi, & *turiaſo* vrbs Hiſpaniæ, turmalis, turmatim, *turoni* quidam, vt volunt, Germaniæ populi, *turpinus* ſeu potiùs Tilpinus Archiepiſcopus Remenſis, turpitudo, turritus, *tuſculanus*, tuſſedo, tuſſiculoſus, tuſſilago herba, tutamen, *tutanus* Deus, tutela, tutelaris, *tuticanus* de quo Ouidius, tutulatus, *tutulina*, *tyaneus* adiectiuum, vnde tyaneius frutex apud Ouidium 8. Metamorphoſeon verſu 725. *tydides* Diomedes, *tyenis*, *tyenites*, tympanites hydrops, tympanizo, *typhaon* Gigas, *typhoïs* Ætna, & *typhoëus* adiectiuum tetraſyllabum, licèt à poetis licenter corripiatur ſubtractâ vocali ſubiunctiuâ, vt in pleriſque aliis obſeruauimus; errant ergo qui ἁπλῶς & vniuerſim edicunt penultimam corripiendam eſſe; cùm in ſoluta oratione debeat ſemper, & in carmine pro libito Poetæ poſſit nonnumquam produci, tyrannicida, *tyridates*, ſeu Tiridates, tyrotarichus ſalſamenti ſiue opſonij quoddam genus, *tyrrhenus*, *tyrrhidæ* Iuuenes libro ſeptimo Æneidos, *tyrtæus* Lacedæmonios ad pugnam carminibus concitans, *tzitziluces* Dux, necnon *tzurulum* vrbs.

Cor. penultimam *tubaris*, tuberculum, tubera, tuberes, *tubero*, tubicen, tubiluſtria feſtum, tubulus, tuburcinor, *tudualus* Epiſcopus ſiue Tugdualus; tamen vt volueris, tudito, tuguriolum, tuitus, *tullius*, *tulpiacum*, tumidus, tumulo, tumulus, *tunstium*, tunica, *turanius*, turbidus, turbino, *turcicus*, *turduli*, *turdulo*, turcus ſiue thurcus, turgidus, turgidulus, *turia*, turibulum, turicremus, turifer ſi abſque ſpiritu ſcribas, *turnebus* Τουρνεβος, *turones* ſiue Turoni vrbs & populi Galliæ ex Sidonio Apollinari, Fortunato, Cellotio,

aliiſque viris pereruditis, turpiculus, turpifico, *turpilius*, turpilucricupidus, *turpio*, turpiter, turricula, turriger, *turſio*, *tuſcia* regio, *tuſculum* vrbs, tutemet, *tutius*, tutudi, tutulus, *tyana* vrbs, & inde deductum *Tyaneus* Ἀπολλώνιος ὁ Τυανεὺς, quidquid ſciam reclamare nonnullos ex infimis ſubſelliis, & ſcibere Tyanæus, vt Halicarnaſſæus, Gnaphæus & ſimilia, ſed immeritò, vt ſatis norunt eruditi, & in peculiari Diſſertatione Proſodica de nomine *Orpheus*, ac ſimilibus in EVS deſinentibus iampridem monuimus, *tyberis* vide Tiberis &c. *tychicus* S. Pauli diſcipulus, *tychius* artifex, *tydeus* pater Diomedis, ſi diſſoluas, vt fieri amat inter pronuntiandum, tympanicen, tympanicus, tympanotriba, tympanum, tympanus auis quædam, *tyndareus*, *tyndaridæ* Caſtor & Pollux, *tyndaris* Helena, *tyndaricus*, *typhoëus* Gigas, ſoluta vt fit duas in ſyllabas diphthongo Græca, de quo conſule mox laudatam Diſſertationem, typicum S. Sabæ, typicus id eſt figuratiuus, typographia, typographus, typographicus, typothetæ, tyrannicè, tyrannicus, tyrannoctonus, tyrianthinus, *tyrigetes* populi, *tyrius* è Tyro, *tyroglyphus*, in Batrachomyomachia, & Tzacones ſeu Diacones (ſic enim ex dictâ Zeta, ex diabolo Zabulus, & ſimilia) haſtati quidam ſtationarij apud Codinum, alióſque Græcæ Hiſtoriæ ſcriptores.



VA. VE. VG.

PRODVCVNT penultimam vacantiuus, *vaccai* populi, vaccinus, *vacienus*, vaciuus antiquè pro vacuus, *vacuna* Dea, vacunalis, vadimonis lacus, vadoſus, vænalis ſeu venalis, væſanus ſiue veſanus abſque diphthongo, *vagedruſa* fons vel vrbs, *vageni* populi, *vageſus*, vagina, vagitus & vagito vagitas, *vagoritum* vrbs,

vaicus, *valachi* populi, de quibus hic tamen vulgò fertur versiculus: O *Valachi, vestri stomachi sunt dolia Bacchi*, &c. *valdetrudis* seu Valtrudis, *valdrada* seu Valderada, valedico, *valegena*, *valamerusseti*, valamires, *valencena* vrbs Belgica quæ olim Valentinianæ, *valentinus*, *valentinianus*, Valerianus, *valericus* seu Vvalericus Abbas, valetudo, valiturus, vallaris corona, *vallisoletum* vrbs, *valtrada*, *valtramus*, *vandalinus* & vandelinus, vaporo, vapularis, *varadanus* fluuius, *varadinum* vrbs, *varanes*, varicosus, *varicus* nomen proprium, variegatus, *vasates* populi, *vasata* seu Vasatum vrbs, vastator, *vaticanus* mons, *vaticana* ædes, vaticinator, *vatinianus*, vatricosus, vbique, atque ex aliquorum sententia cui non subscribo, etiam vbínam & vbíuis, *vbertinus*, *vdalricus* Episcopus, vdones calcei rustícani, *vechires*, vectigal, vectigales rustici, *vectones* populi, vectura, *vedinum* vrbs, vegetamen, *veientanus*, *velabrum* locus quidam Romæ, velamen, *velauni* siue Vellauni populi, *velinum* & *velini* portus, velimus à velim, *velinus* lacus, *velitræ*, quamquam aliqui minùs commodè contradicant, vellicatim, *vellaunodunum* oppidum apud Cæsarem in Commentariis, de quo tot ferè sententiæ, quot Geographi, adeò nihil certi erui potest, *venafrana* oliua, *venafrum* vrbs, venalis, venator, venatrix, *venceslaus*, *vendelinus*, venenatus, veneno, venenosus, venenum, *venericus* scriptor quidam, vt Hunericus & similia, *vennones* populi, *ventado-*

rum, ventilabrum, ventoſus, ventrale, ventrioſus ſeu ventricoſus, *venuleius*, *venuſinus* Horatius eiúſque lucerna Venuſina Iuuenali, *vepicus*, vepretum, *veranus*, veratrum herba, *verbanus* lacus, verbena, verbenaca, verboſus, verecundatus ; *veredemus* ſeu Veredimus aut Veredamus, veredus, *verena* ſeu Verina Virgo Kalendis Septembribus, *verinus* adoleſcens poetices ac caſtimoniæ laude præſtans, *veriſa* vrbs, veriſimilitudo, vermiculatus, *vermina* Syphacis regis filius (at verò hæc vermina à vermen, vt tormina à tormen penultimam corripiunt,) vernice gummi iunipéri, vnde vnde originem ducat, qua de re diſputandum aliis relinquo, vernalis & vernilis, *verona* vrbs, *veronica* ſeu Beronica mulier, verrinus & *verrinus* à Verre, vnde Verrinum ius in quo luſit Cicero, verruca, verrucoſus, *verodunum* & *veroduni*, *verrunum*, verſicolorus, verſura, verſutus, *vertanum* cœnobium, vertigo, veruecinus, veruina teli genus, veruтum, verutus, veſanus, *veſenus* mons, veſica, *veſpaſianus* Imperator, veſperugo, veſpertinus, veſpillones, *veſtales* Virgines, *veſtfali* ſeu Vveſtphali, veſtigo, *veſtini* populi, veſtitus, veſtitor, *veſuuinum* incendium, *veſontinus* ſeu Biſuntinus, veteranus, veterator, veterinus, *vettones* populi, *vfentinus* à fluuio Vfente, *vgoninus* ſiue potiùs Hugoninus.

C o r. penultimam vaccinium herba, *vachalis* ſeu Vahalis fluuius Batauiæ, vacia, *vadimon*, vadimonium, *vaionis* vafrities, *valachi* & *valachia* regio, *valamer*, *valentia* vrbs ſiue Galliæ ſiue Hiſpaniæ, *valeria* prouincia, *valerius*,

valesius, validus, *valgius*, *vallesii*, *vallesiada*, *vallebana*, *vallicolora* vrbs, quæ etiam Vallisfcolorum dicitur, *vallia* rex Vvisigothorum, *vandali*, *vandalia*, *vandaiicus*, *vangiones* populi, *vanelo*, vaniloquus, vanitas, *vaphree*, vapidus, vaporifer, vapulo nomen & verbum, *varamer* & *varares*, varices, varicus adiectiuum, varico seu varicor, varietas, varioli morbus, vario, *varius*, varius, *vasaticus*, *vascones* populi, *vasconicus*, *vasconiacus*, *vasio* vrbs Vocontiorum, à qua Vasensia seu Vasionensia Concilia, quæ alij Vasatas ineptè transferunt, vt aliàs monuimus, vasculum, *vasculi* seu Basculi populi, vastitas, *vatares*, vaticinium, vaticinor, vaticinus furor, *vatinius*, vbinam & vbiuis, *vbij* populi, *vcalegon* 2. Æneidos, *vebius*, vecorditer, vectabulum, vectarius, *vectidius*, vegetabilis, *vegetius*, vegeto, vegetus, vehemens, vehiculum, *vetus* adiectiuum, *vesouis* vox trisyllaba, velarius, *veleda*, *velia* vrbs, *velicer*, velifer, velifico, velificus, velitatio, velites, velitor, veliuolus, *velius*, *vellauij* siue Velaunij populi, vellico, velocitas, velociter, velothyrum, veluti, venabulum, *venantius* Fortunatus, venaticus, *vencia* vrbs siue Vencium, vendico, vendidi, vendibilis, vendito, venditor, venditus, *venedicus* sinus, venefica & veneficus, veneo seu cum diphthongo quæ nonnullis arridet, væneo &c. venenifer, venerabilis, veneror, venereus, *veneria*, *veneti* populi siue Galliæ siue Italiæ, *venetia*. vrbs, *veneticus*, veniabilis, *venilia*, *venilo*, venimus præteriti temporis, vt capite secundo Euangelij secundùm Matthæum, vbi de Magorum aduentu, venticulor, *ventidius*, ventigenus, ventilo, ventito, *ventium* siue Ventia vrbs, ventriculus, ventriloquus, ventrimanus, venucula, *venulus*, venumdatus seu vænumdatus, *venusia* vrbs Italiæ, *verannio-lus* & *verannius*, verbero nomen & verbum, *vercingentorix*, verecundia, veretrum non secus ac fulgetrum, feretrum, & similia, vt quidem plures doctioresque existimant, verbositas, verbosulus, *vergiacum* cœnobium, *vergiliæ* siue Virgiliæ, *vergilius* qui passim eruditis Virgilius, veridicus, verisimilis, veritas, veritus, vermiculor, vermiculus, vermino, vernaculus, *verolamium* seu Verulamium vrbs Angliæ, *veromandui* populi, verosimilis, verriculum, vertucula, versatilis, *versiacum* locus, versicolor, versiculus, versificor,

versilis, versoria pyxis nautica siue eius acus, versutiloquus. *vertacus* Astrologus quidam, vertagus canis, vertebræ, verticulum. *verni* vrbs, *verulus* Martyr 21. die Februarij, vesania siue væsania, *vesenius* siue Vesuuius mons Italiæ sat notus, vesicula, *vesontio* seu Bisuntium vrbs Sequanorum, vespera, *vestiphali* apud quosdam, *vestfalia*, vestibulum, vespertilio, vesticeps, vestispicæ, *vestius*, *vesulus* mons, veterinaria medicina, veterrimus, vetitus, vetonica seu betonica herba, *vettonia* regio Hispaniæ, *vetulonia* vrbs, vetula, vetulus, vexillarius, vexillifer,

VI. VIV. VL.

PRODVCVNT penultimam vialis, viator, vibices, vicanus, vicatim, vicedominatus, *vicelinus*, *vicelonus*, viceni, *vicentinus*, vicinus, vicissatim, vicissitudo, *victorianus*, victoriatus nummus, *victoricus* Martyr, quemadmodum & Vitalicus, neque enim à Victore & Vitali dictionibus Latinis huiusmodi nomina propria deriuari penultima breui patitur analogia, quæ id Græcis permittit, nam Dominicus, & si quæ alia ex adiectiuis orta sunt; verùm res non est tanti, eligat lector vtrum voluerit, *victorinus*, victurus, *vidrana* fluuius, vidualis, viduatus, vietor, vietus saltem longè meliùs, vt aliàs docuimus, vigilati labores, *vildrada*, villanus, villaris, villosus, *vilpidus*, *vincentinus*, *viminalis* porta Romæ, viminalis, *vincomalus*, *vindemialis*, vindemialis, vindemiator, *vindemirus*, *vindicianus*, *vindoninus*, vineago, vinctum, vinipotor, *vinnocus* Abbas, vinosus, violator, viperinus, virago, viretum, virgatus, virgetum, *virgilianus*, virginalis, *viriathus* seu Viriatus, *virodomarus*,

virilis,

vitilis, viritim, *virodunum* ſeu Verodunum vrbs Clauorum aliàs dicta, quæ modò Virdunum ſeu Verdunum, viroſa & viroſus, viſcatus, viſceratim, viſitator, *vitalicus* Martyr, vt ſuprà diximus in Victoricus, *vitalina* Virgo, *vitalis*, vitalis, *vitellianus*, *vitericus*, vitiligo nomen, vitilitigator, vitiatus, vitioſus, vitulamen, vitulinus, *vitunus* Deus, *viuianus* ſeu Bibianus Epiſcopus, viuerrinus, *viuina*, viuiradix, vligo, *vlſadus*, *vlpianus* IC. *vldaricus* ſeu Vldricus Epiſcopus, aut Vldericus, *vlmarus*, *vltraiuranus*, *vltraiectinus*, *vlubra* apud Poetas, vlulatus, *vlyſſeus* adiectiuum, & *Vlyſſipona* vrbs.

Cor. penultimam *Viadrus* fluuius, viaticum, *vibidius*, *vicapota* Dea quæ dat viuere & potiri, vt volunt, vicarius, vicedominus, *vicentonia* fluuius, viceſimus, *vicentia* vrbs, vicia, vicies, vicinia, victima, victimo, victito, victoria & *victorea*, *victorius*, & vt quidam volunt *victoricus*, viculus, videlicet, videſis, viduitas, *viduius* fluuius, vidulus, vigeſimus, vigilax, vigiles, vigiliæ, vigilo, *vigilius* Papa, villaticus, villicor, villicus, villula, vimineus, vinaceus, vinalia feſtum & vinatia dolia, *vincentia* ſeu Vicentia vrbs Italiæ, *vincentius* Martyr, vincibilis, vinculum, *vindalus* fluuius, *vindecinum* ſeu Vindocinum & *vindinum* vrbes Galliæ, *vindelici* populi, *vindelicia* prouincia, vindemia, vindemitor, *vindicius*, vindico, *vindones* populi, *vindocini* Duces ab vrbe Vindocino, vinea, vinitor, *vintonia* vrbs, vinulus, viola, violaria, violabilis, violaceus, violo, vipera, vipereus, *virbius*, virgidemia, *virgilius* ſeu Vergilius, *virginia* & *virginius*, virginal, virginitas, virgula, virguncula, viria, viridans, viridarium, *viridaſius*, viridis, viriditas, *viridomarus* vt vulgò, viriliter, viriola, viſcidus humor, *viſellius*, viſibilis, viſito, *viſigothi* ſeu Veſogothi, *viſtula* fluuius Poloniæ, *viſuntio* ſeu Veſontio, vitabilis, *vitalicus* Martyr, ex quorumdam ſententia, vitaliter, *vitellius*

Imperator, *viterbium* vrbs, viteus, viticomus, *vitiges* Ostrogothorum rex, viticula, vitifer, vitigenus, vitilis, vitilitigo, vitiositas, vitisator, vitium, vitrarius, vitreus, vitricus, vitriolum, *vit. unsus*, vitula, vitulor, vitulus, vitupero, viuarium, *viuario* vrbs, *viuentiolus* Episc. viuidus, viuifico, viuipara, vlcero, *vifila*, *vliarus* insula, & recentioribus Olario, vnde Sidonio Olarionenses lepusculi, vlmeus, vlpicum allij quoddam genus apud Columellam, *vlpius*, vlterior, vltimus, vltroneus, *vmbra*, quas alij producere malunt, tibi, vt volueris lector, datur optio, mihi correptio magis arridet, vlula, vlulo, *vlyßipponicus* & Vlysseus pro Vlysses, si diphthongum, vt fit, dissoluere libeat.


VM. VO. VV.

Prodvcvnt penultimam vmbilicatim, vmbilicus, *vmbrenus* proprium, & ab Vmbria adiectiuum, vmbrosus, *vmbrosa* vallis Monachi, vncialis, vnciatim, vncinatus, vndatim, vndeni, vndequaque siue vndiquaque, vndosus, vndulatus, vnitus, vniuersalis, vnius vt illius &c. vocalis, vocamen, vocatiuus, vociferator, *volaterranus*, volatus, volemum pomum pyrumve, volones spontanei milites, volumen, volutabrum, volutæ in columnis, volutatim, voluto, volutus, voluptuosus, *volusianus* Imperator, *vomanus* fluuius, *vonones* Phraatis filius, voraginosus, vorago, *voranus*, vorticosus, *votienus*, votiuus, *vpsalum* vrbs Sueciæ, vt Pharsalus, Stymphalus &c vragus quippini, vt choragus, cæteráque eiusdem formæ, imò & longè potiori ratione, neque enim id dumtaxat exigit duarum vocalium concursus, sed etiam vltima τοῦ οὐρὰ & analogia id suadent iis, qui hæc mysteria callent, *vrbanus* Papa, vrbanus, *vrbina-*

tes, *vrbinum* vrbs, vrceolaris, vredo, vreter & in plurali vreteres, vrica, vrigo, vrina, vrinator, vrino vel vrinor, *vrſana*, *vrſina*, *vrſinus* ſiue Vrſicinus Epiſc. vrſinum ſenum, *vrſmarus* Abbas ſeu Vrſimarus, vrtica, vſquequaque, vſitatus, *vſſumcaſſanes*, *vſtanes* & *vſibazanes* Martyr, *vſtica* mons, vſtrina, vſura, vſurus, vtrobique; ſic enim inualuit vſus apud omnes, vtroque, vterini fratres, vtraque ablatiui caſus, vtrique, vtrius, *Vvalafridus* ſeu Vvalfridus, aut Vvaldefridus, *Vvandregiſilus*, cuius penultimæ ad maiorem productionis ſecuritatem fulcrum alterum quidam ſupponunt, eiúſque pater *Vvaltchiſus*, *Vvaldelenus*, *Vvalericus* Abbas, *Vvalterus*, *Vvaltramus*, *Vvarnefridus*, *Vvenceſlaus* Boemiæ rex, *Vvenefrida*, *Vvernherus*, *Vveſtfali*, *Vviligiſus*, *Vvilramus*, *Vvinocus*, *Vvitgerus*, *Vulcanus*, *Vuldotrada*, *Vulfredus*, *Vulmarus*, *Vulfadus*, vulgaris, vulgatus, vulpinor, vulpinus, *Vulcoinus* ſeu Folquinus Epiſcopus, *Vvolſtanus*, vvlſura, vultuoſus, vulturinus, vxoratus.

COR. penultimam vmbraculum, vmbraticus, vmbratilis, *vmbria* Italiæ regio, *vmbricius*, vmbrifer, *viuentiolus*, vnanimis ſiue vnanimus, vnanimiter, vncia, vncinus, vnciola, vndecim, vndecimus, vndelibet, vndiſonus, vndique, vndinomus, vndula, vnedo ſi certa Plinij Senioris notatio, quâ ab vno & edere, id eſt eſſe, deducitur, vnguentarius, vnguiculus, vngula, vnicolor, vnicus, vnigena, vnigenitus, *vnilas* Gothorum Epiſc. vnimanus, vnimodus, vnio, vnitas, vniuerſitas, vniuira, vniuocus, vnoculus, vnomammiæ, quæ Græcis Amazones, vocabulum, vocalitas, vociferor, vocito, *voconius*, *vocontij* populi Galliæ, vocula, *vodalus*, *vogeſus* mons, volaticus, volatilis, *volamerius*, volito, *vologeſias*, *vologeſus* Perſarum rex, *volſcinij* ſeu

Volſcinium Italiæ vrbs, volubilis, volubilitas, volucer, volucris, volucripes, volupe, *volupia*, voluolus, *voluſius* & *voluſus*, voluulus, vomica, vomito, vomitoria, vomitus, *vormatia* ſeu Varmatia Vangionum, vpilio ſiue opilio, vpupa, vragicus, at non vragus, vt ſuprà monuimus contra minùs peritos cenſores, *vrania* ſiue Vranie Muſa, *vranius*, *Vranopolis* Tychonis Brahæi, vranoſcopus, vrbanitas, vrbicapus, *Vrbicius*, vrbicremus, *Vrbicus*, vrbicus, vrceolus, *Vria* vrbs, *Vriades* Bezeleel, vrina oua ſubuentanea, vrocritica, vropygium ſeu potiùs orrhopygium, *Vſipetes* & *Vſipij* populi, *Vrſeolus*, *Vſedius*, *Vrſula* Virgo Martyr, vſia ex Græco οὐσία, vſito, vſquequò, vſtulo, vtenſilis, vterlibet, vterus, vterculus & vterulus, vtibilis & vtilis, *Vtica* vrbs, vtilitas, vtinam, vtique, vtraque nominatiui caſus & accuſatiui pluralis, vtrarius, vtriculus, vtrobi, vucus, vuidus, *Vurdius*, vuifer, *Vulcanius*, *Vulfilas* ſeu Vulphilas Epiſcopus Gothorum, vulgiuagus, vulnero, vulnificus, vulpecula, *Vulpenius*, *Vulſcinij* ſeu Volſcinij, vulturius, *Vxama* vrbs, vxorcula, vxorius, *Vzecia* vrbs Galliæ.




XA. XE. XY.

PRODVCVNT penultimam *Xanthopulus*, xenagus vide ſuprà vragus, *Xenoclea*, *Xenoclides*, *Xenodemus*, xenodochium, *Xenodorus*, *Xenopithia*, *Xerxéne* regio, *Ximene* regio, *Xiphilinus* Patr. CP. xiphoides cartilago, xylolychunchus.

COR. penultimam *Xanthenes*, Xanthicus menſis, non Xautichus, *Xanocles*, *Xanthij*, xanthion herba, *Xanerius*, *Xenagoras*, xeniolum, *Xenion*, xenium, *Xenocles*, *Xenocrates*, *Xenodice*, xenodochus, *Xenodotus*, *Xenombrotus*, *Xenophanes*, *Xenophilus*, *Xenophon*, xerampelinus, *Xerolibyc*, *Xerolophus*, xeromyrum, xerophagia, xerophaphus, *Xyphares*,

xiphias piſcis, xiphion gladiolus herba, xylinus ligneus, xylobalſamum, xylocaſia, xylophagus vermis, xyſtici gladiatores, & xyſtilis à xyſto ſeu porticu tectâ.



ZA ZE. ZY.

PRODVCVNT penultimam *Zabergamas*, tamen, vtvt libuerit, *Zabulon* ſiue Zabulones, vnus è XII. Iacobi Patriarchæ filiis, à quo dicta Tribus, & *Zabulonitæ* eius incolæ, *Zacchæus* Publicanus, *Zanclæus* ſiue Meſſanenſis, *Zanitas* Martyr, *Zanzalus*, *Zanitæ*, *Zarbrenus* rex Gordyenorum, *Zebedæus* pater SS Iacobi & Ioannis, *Zebina* ſiue Martyr, ſiue etiam Rex Syriæ, *Zebinus*, *Zelea*, *Zeletes*, zelotes & zeloſus, ſi tamen ſit vox Latinâ, *Zengitana* prouincia Africæ, *Zenoclides*, *Zenodorus*, *Zenodotinus*, *Zephyrinus* Papa, *Zephyritis* Flora, zetheca ſeu potiùs zotheca, de qua voce conſule R. P. Iacobi Sirmondi annotationes ad epiſtolam 16. libri octaui Sidonij Apollinaris, *Zeuxidamus*, *Zigira* vrbs, *zoëtus*, *zooras*, *zopyreus* adiectiuum, quemadmodum & *zoroaſtreus*, zotheca, zyæna piſcis, *zycotas*, *zydritæ*, zygitæ, zygoma, zymites panis, hoc eſt fermentatus.

COR. pen. Zabulus ſeu potiùs Zabolus, id eſt dialecto Æolica diabolus, cacodæmon, calumniator apud SS. Patres Hilarium, Paulinum, alioſq; *Zabergamas* ſanctus quidam vir, vt quidam ſentiunt, & vt ante decennium edideram, *Zacharias* ſeu Propheta ſeu Rex, *Zacharides* S. Ioannes Baptiſta, *Zacynthius* ab inſula Zacyntho, *Zagora* vrbs, *Zalates* Ar-

menus quidam apud Iuuenalem ſatyra 2. zatricium ſcacchorum ludus, *Zebdiel*, *Zeluma*, *Zenaides*, *Zenobia*, *Zenobius*, *Zenocles*, *Zenodocia*, *Zenodotion*, *Zenodotus*, *Zenophilus*, *Zenothemis*, zelotypia, zelotypus, *Zephyrius*, *Zephyrus* ventus, *Zerinia*, *Zerinthius* ab inſula Zerintho, *Zerolibye*, zetecula, *Zeticus* Martyr, *Zeebil*, zinziber vel zinziberi, zizanium, ziziphus ſeu ziziphum, *Zoara* vrbs, *Zobida*, zodiacus in cælo circulus, zographeus id est pictor, zographica, *Zoilus*, Zonaras Ioannes Monachus, ita enim vulgò pronuntiant etiam eruditiſſimi quique, ſed quo amabo iure? Quidni Doricum aliquid in vtraque ſyllaba liceat ſuſpicari? ſed illa de re aliiſque quamplurimis malim doctiorum iudicium expectare, quàm meam in medium proferre ſententiam, zonarius ſector, zoophyta plantanimalia, zootomia, *Zorobabel*, *Zophorus*, *Zopyrus* Dux Darij Hyſtaſpidæ, *Zoſimus* Papa, *Zotichius*, *Zotichus*, *Zygena* inſula, *Zygia*, *Zygij*, *Zygomala*, ſi tamen à ζυγὸν καὶ ὁμαλὸς, *Zygopolis*, zygoſtaſia, zygoſtatæ & zythicus potus.

FINIS.

LECTOR
SACRÆ SCRIPTVRÆ
Ad rectæ pronuntiationis amussim eruditus.

Cum gemino Indice difficiliorum vocabulorum, quæ in sacris Bibliis negotium etiam doctioribus facessere nonnumquam solent.

Editio tertia auctior & emendatior.

LECTORI



LECTORI SACRÆ SCRIPTVRÆ S. P.

CVm *in omnibus bene moratis sæcularium regulariúmve hominum cœtibus Scripturæ sacræ caput aliquod ad mensam publicè prælegi soleat, atque huic muneri iuniores & linguæ Græcæ abstrusiorísque prosodiæ imperiti nonnumquam præficiantur, operæpretium facturum me existimaui, si in gratiam studiosorum adolescentium, eorum maximè, quos ad pietatem cum litteris amico fœdere copulandam in conuictu ac seminariis summo labore nec dispari fructu informat Societas* IESV, *qualecumque hoc opusculum, subsesiuis horis adornarem, regulísque atque indicibus necessariis præmunitos lectores, non solùm ad sacros Bibliorum codices emendatè legendos, sed ad alios quoque profanorum etiam auctorum libros, paratiores peritiorésque redderem. Hunc porro ordinem in prima parte, quam Amussim Rectæ Pronuntiationis appellare*

placuit, seruandum duxi, vt primùm Generales proferantur Regulæ quæ ad Latina, tum quæ ad Latino-Hebræa, postremò quæ ad Latino-Græca vocabula pertinent: Neque tamen hîc omnia, quæ vbique & apud omnes scriptores leguntur, recensere animus fuit: sed, vt antè iam monui, in inuestiganda earum dictionum quantitate nostra hîc desudat industria, quæ sacrosanctis vtriusque Testamenti paginis comprehensæ, molestiam Lectoribus creare non rarò solent.



AMVSSIS
RECTÆ PRONVNTIATIONIS in legendis S. Scripturæ libris.

Prima Regula.

IN nominibus seu Latinis seu peregrinis quibuscumque attollenda est inter pronuntiandum penultima, quoties vel per diphthongum scribitur, vel positione longa est, ob duas videlicet consonantes, vel aliquam duplicem litteram: *Exempla passim obuia.*

Secunda Regula.

Penultima vocalis ante aliam vocalem vel diphthongum breuis est, saltem in Latinis vocibus, (*nam de aliis dicetur pluribus infrà*) vt filius, video, &c.

Excipe primò *genitiuos in ius* qui semper in soluta oratione penultimam producunt, *si vnum, videlicet Alterius, excipias.*

Excipe secundò *genitiuos & datiuos quintæ in ei,* cùm penultimam præcedit vocalis I, vt patet in *diei, speciei,* &c.

Tertia Regula.

Quando penultima *producitur,* inter pronuntiandum attollenda est: quando verò *corripitur,* deprimenda est, & attollenda antepenultima. *Quam regulam in peregrinis quoque vocibus valere docebimus paulò pòst, paucis omnino exceptis.* Vnde sanè colliget adolescens emendatæ lectionis studiosus quantum conferat ad rectam pronuntiationem quantitatis Latinæ ac Græcæ exacta cognitio.

Quarta Regula.

Crementa nominum verborúmque sedulò ac diligenter perdiscat, qui inoffenso pede Scripturam; vel quid aliud legendo decurrere voluerit. *In vtroque tamen Indice huic primæ parti subiungendo remotiora quædam ab vsu vulgari nominum maximè Latino-Græcorum crementa in gratiam rudiorum suo ordine recensebimus.*

Quinta Regula.

Attendant præterea, altiúsque memoriæ infigant, quæ habentur apud Aluarem, Despauterium, & in Prosodia nostra *de præteritis verborum ac supinis, maximè dissyllabis:* quia non tantùm ad rectam compositorum inde verborum pronuntiationem, sed etiam *ad deriuata quamplurima, siue nomina siue participia* suis aptè accentibus distinguenda plurimùm proderunt.

Sexta Regula.

Composita & deriuata sequuntur normam sim-

plicium & primitiuorum, exceptis *deiero, pronubus, peiero, & nominibus à dico deductis, vt maledicus*. Vix enim alia contra originis suæ naturam proferenda Scripturam suppeditare arbitror. *Quatuor hîc ergo mecum obserua maximi omnino ad rem quam agimus momenti.*

Primum est. Composita à verbis *cado, cedo, clamo, claudo, clino, dico dicis, duco, duro, fido, figo, fligo, iuro*, vbi non mutatur u, *lædo, lego legas, libo, ludo, mano, muto, nudo, pareo, plaudo, ploro, pono, quæro, rado, repo, rideo, scribo, scrutor, sido, solor, spero, spiro, sudo, sumo, trudo, vado, velo, vito, viuo, vtor*, &, si quæ alia diligentiam nostram effugerint, primam simplicis producere, vt *allegas, comparet, declina, illido, occidit, perquiris, reducam*, & similia etiam in quibusdam nominibus, vt *conuiua, homicida, periurus, femininus*, &c.

Secundum. Composita à verbis *ago, amo, aro, bibo, cado, cano, capio, caueo, cauo, cito, colo, coquo, crepo, cubo, dico dicas, doceo, doleo, edo, egeo, emo, facio, fero, fodio, frico, fugio, gero, gradior, grauo, habeo, iacio, iuuo, lateo, lego legis, leuo, ligo, loco, loquor, maneo, meto, mico, migro, minor, moneo, moueo, nego, noto, nouo, oleo, pario, paro, patro, peto, plico, precor, premo, probo, puto, quatio, rapio, rego, rigo, rogo, sacro, salio, sedeo, sequor, sero, sino, sono, specio, taceo, tego, teneo, tero, tono, venio, video, voco, volo, vomo, voro*, non tantùm verba, quæ numerum pene omnem excedunt, vt *ædifico, adimit, intelligit, permanet, regredi, re-*

fidet, *transmigrem*, *vociferer*, &c. primam sui simplicis corripere, saltem in præsenti, aliisque temporibus, quæ ab eo formantur; sed etiam nomina, quæ in sacris codicibus non pauca occurrent legentibus, vtpote *aduena*, *agricola*, *armiger*, *aurifex*, *cornupeta*, *falsiloquus*, *maleficus*, *pedissequus*, *pomifer*, *profugus*, *præcoqua*, *refuga*, *sacrilegus*, &c.

Tertium. Composita *verbi do* à cæteris primæ coniugationis esse quoad pronuntiationem primi crementi omnino secernenda. Ea sunt *circumdo*, *pessumdo*, *venumdo*: non autem, vt quidam aliquando similitudine terminationis decipiuntur, *fœcundo*, *iucundo*, *trucido*, &c.

Quartum denique, verba quæ à crementis nominum formantur eorum quoque quantitatem imitari. quo fit vt *collaboro*, *custodi*, *eradico*, *inhonoro*, *inquieto*, *minoro*, *saluto*, penultimam producant; longè verò plura eandem corripiant; puta *abominor*, *adultero*, *ærugino*, *auguror*, *commemoro*, *conglutino*, *congrego*, *delibero*, *diiudico*, *dilacero*, *elimino*, *examino*, *exaspero*, *fornicor*, *fulguro*, *germino*, *hospitor*, *indico indicas*, *lapido*, *milito*, *miseror*, *onero*, *operor*, *ordino*, *præcipito*, *refrigero*, *vigilo*, *vindico*, *vulnero*, & similia, quæ frustra adolescentes in sequentibus indicibus quærent: illa enim vtpote vel ex hac obseruatione iam satis perspecta consultò omisimus.

Septima Regula.

Discrimina quædam non minùs accuratè stu-

diosis lectoribus obseruanda erunt.

Primum inter præsens & præteritum verborum: vt inter *venîmus & vénimus*, *reperîmus & repérimus*, *cómedit* præsentis & *comēdit* præteriti, *pérfodit & perfôdit*, *ínuenit & inuênit*, *diffîdit* præsentis à fido & *díffidit* præteriti à findo, &c.

Secundum inter præsens & futurum: vt *lóqueris* præsentis & *loquéris* futuri, *díceris & dicéris*, *víderis* subiunctiui actiui & *vidéris* præsentis passiui, &c. Neque enim pluribus licet in hisce minutiis immorari.

Tertium inter coniugationes & significationes: vt *pénderent* à pendo, *pendérent* à pendeo, *iacérem* à iaceo, *iácerem* à iacio, *óblitus* ab oblino, *oblîtus* ab obliuiscor, *mólitus* à molor, *molîtus* à molior, *éduco* id est nutrio, & *edûco* edûcis à duco, *índico* indicas & *indîco* indîcis, *óccidit*, *íncidit*, *cóncidit* à cado, & *occîdit*, *incîdit* & *concîdit* à cædo, *vincitur* à vincor, *vincîtur* à vincior, *cónditus* à condor, *condîtus* à condior, *cómparet* à paro, *compâret* à pareo, sic similia multa occurrent, quæ suoptè ingenio quisque poterit deprehendere.

Quartum inter varias partes orationis & varia earum accidentia: vt inter *laterem latere laterus* nomina, & verba *latérem*, *latére*, *latéres*, *teneré* aduerbium & *tenére* verbum, *cupido* datiui casus & *cupido* nominatiui, *itaque* coniunctionem & *itáque* id est atque ita; *eadem* & *vtraque* nominatiui, *eâdem* & *vtrâque* ablatiui, &c.

Octaua Regula.

Polysyllaba Latina, vel Latino-Græca, quæ

ſequentibus terminationibus conſtant, penultimam producunt.

Abrum & acrum: vt candelabrum, lauacrum, ſimulacrum, ventilabrum, volutabrum, &c.

Ago in nominibus: vt cartilago, compago, imago, propago, ſartago, ſimilago, virago, &c.

Alis & ale: vt brachiale, coniugalis, occidentalis, &c.

Amen: vt examen, foramen, velamen, &c.

Anus in nominibus præſertim Adiectiuis: vt Aſianus, decanus, Herodiani, Hyrcanus, hortulanus, pelicanus, profanus, ſyluanus, veſanus, &c. Dixi *Adiectiuis*, nam ſequentia ſubſtantiua eáque Græca penultimam corripiunt, *clibanus, galbanus, libanus, lagana, organum, orphanus, platanus, ptiſana, Stephanus & Stephanas, tympanum.* Sunt & alia quædam, ſed de iis Scriptura ſilet.

Aris & are: vt altare, lumbare, molaris, pugillaris, talaris, &c. *Excipe* Acharis, capparis, cidaris, Damaris, eucharis, hilaris, & quædam alia peregrina.

Atim in aduerbiis: vt nominatim, paulatim, turmatim, &c. *Præter affatim.*

Ator, atus, atum, atrix, & atrum: vt Apoſtolatus, aratrum, cauteriatus, ceruicatus, cicatrix, creator, epiſcopatus, grabatum, magnatus, malogranatum, picatus, Pilatus, Theatrum, &c. *Excipiuntur* compoſita à verbo do, Adeodatus, circumdatus, venumdatus, &c.

Edo in nominibus fœmininis: vt dulcedo, nigredo, pinguedo, vredo, &c. *Ela:*

Ela: vt candela, mustela, querela, &c.

Elis: vt crudelis, fidelis, patruelis, &c.

Ena in nominibus substantiuis fœmininis: vt cantilena, catena, habena, lagena, sagena, &c. *Aduena enim, alienigena & indigena masculina sunt.*

Ene in nominibus Græcis: vt Cyrene, Magdalene, Mitylene, Syene, &c. saltem ea tantùm in S. Scriptura leges.

Enus in adiectiuis: vt ahenus, alienus, Antiochenus, centeni, Damascenus, Gerreni, Medenus, Thecuenus, &c. *Hebenus corripitur, sed substantiuum est.*

Etus, eta, etum: vt acetum, arundinetum, boletus, ficetum, frutetum, metreta, Miletus, moneta, myrtetum, Philetus, &c. *præter cornupeta, Haliaetus, impetus & vegetus, si tamen in Bibliis reperitur.*

Ido & igo in nominibus: vt crepido, cupido, impetigo, origo, rubigo, caligo & formido quæ duo etiam dum verba sunt, eamdem quantitatem retinent, &c.

Ile in substantiuis neutrius generis: vt cassidile, cubile, hastile, ouile, sedile, &c.

Imen: vt discrimen, molimen, &c. præter tegimen, regimen.

Ita & ites in patronymicis & Gentilibus, vt vocant, masculinis propemodum infinitis: vt Ælamita, Ioppitæ, Israelita, Leuites, Meraritæ, Scythopolitæ, Thesbites, &c. *& in fœmininis in itis:* vt Amathitis, Chananitis, Moabitis, Sunamitis, &c. quorum crementum, *vt obiter id di-*

cam, corripitur: neque tamen ſemper creſcunt in obliquis.

Iuus: vt Abortiuus, æſtiuus, captiuus, feſtiuus, fugitiuus, furtiuus, &c.

Ona: vt annona, Corbona, Mammona, perſona, Sarona, &c.

Orus ab obliquis productis: vt canorus, decorus, ſonorus, &c.

Oſus in quamplurimis: vt formidoloſus, frondoſus, hernioſus, leproſus, piloſus, ſaxoſus, &c.

Vca: vt carruca, eruca, feſtuca, lactuca, ſambuca, &c.

Vgo & udo in ſubſtantiuis fœmininis: vt albugo, aurugo, plenitudo, teſtudo, &c.

Vra in quamplurimis: vt figura, fractura, incaſtratura, ligatura, menſura, tritura, vſura, &c.

De terminatis in *ica & icus*, *ilis & inus*, *ina*, *inum*, vide ſeq. regulam.

Nona Regula.

Polyſyllaba Latina vel Latino-Græca maximè deriuata, quæ ſequentibus terminationibus conſtant, penultimam corripiunt.

Acus in adiectiuis, quæ Græcam originem ſapiunt: vt Ægyptiacus, Syriacè, &c.

Opacus merè Latinum eſt, nec ad præcedentia accedit.

Etas in fœmininis: vt pietas, ſatietas, varietas, &c.

Ico in verbis: vt ædifico, claudico, fabrico, iudico, multiplico, magnifico, vellico, vindico,

&c. *Excipe* extrico, & composita à dico dicis tertiæ.

Ica: vt Africa, basilica, manica, pedica, probatica, tunica, &c. *præter formica, lectica, lorica, myrica, rubrica, vesica, vrtica, & Thessalonica.*

Icus & icum: vt Africus, Azoticè, bellicus, canticum, diabolicus, dominicus, ethnicus, famelicus, hydropicus, Illyricus, laicus, lebniticus, leuiticus, lubricus, lunaticus, magicus, modicus, mysticus, nauticus, pisticus, ponticus, porticus, punicus, pythonicus, rusticus, Semeiticus, sericum, Stoici, sophisticè, triticum, typhonicus, vnicus, viaticum, vitricus, Xanthicus, & quamplurima alia. *Excipe amicus, Andronicus, inimicus, mendicus, posticum, pudicus, vmbilicus.*

Idus in adiectiuis: calidus, callidus, hispidus, inualidus, pallidus, &c.

Ilis breuiatur in adiectiuis, maximè verbalibus: vt conflatilis, ductilis, humilis, fictilis, placabilis, sculptilis, sterilis, textilis, volatilis, &c. *Excipe quæ à rebus animatis deducuntur*, nam de substantiuis in ile iam diximus: vt *anilis, gentilis, hostilis, iuuenilis, puerilis, seruilis, virilis*, &c. quibus adde *exilis & subtilis.*

Ilo in verbis; vt iubilo, mutilo, rutilo, sibilo, ventilo.

Imus in superlatiuis præsertim & numeralibus: vt centesimus, facillimus, infimus, intimus, legitimus, maritimus, Alcimus, Onesimus, optimus, trigesimus, vilissimus, vltimus, &c. *Excipi* posset secundo-primus.

Inus, ina, inum in substantiuis & adiectiuis, iis præcipuè, quæ manant ab adiectiuis Græcis in ινὸς, quæque à voce rem aliquam significante deducuntur, quæ in maximo numero tum alibi, tum in Scriptura leguntur: Pauca tantummodo hîc succenturiabo: acinus, amygdalinus, arceuthinus, buccina, byssinus, cedrinus, cophinus, crystallinus, crastinus, coccinum, circinus, Dorymi-nus, fœmina, glutinum, Hebeninus, hyacinthinus, ianthinus, lamina, machina, myrrhinus, nundinæ, onychinus, pristinus, protinus, sarcina, serotinus, sapphirinus, smaragdinus, terminus, trutina, vncinus, &c.

Excipe primò adiectiua in inus à vocabulis Latinis rerum animatarum: vt arietinus, caprinus, consobrini, coruinus, fœmininus, masculinus, porcinus, textrinus, &c. *quibus adde* adulterinus, clandestinus, diuinus, festinus, inquilinus, intestinus, matutinus, morticinus, peregrinus, repentinus, supinus, vespertinus, veterinus.

Excipe secundò adiectiua quæ fiunt à nominibus propriis regionum, vrbium, & locorum, maxime quæ Gentilia vulgò appellantur, vt Abilina, Alexandrinus, Hiericunthinus, marinus, Palæstinus, vicinus, &c.

Excipe tertiò sequentia substantiua, quæ in Scriptura occurrunt, nam de aliis alibi: aruina, carnificina, carina, cortina, concubina, disciplina, doctrina, farina, fodina, gallina, lapidicina, latrina, medicina, officina, parietina, pruina, piscina, popina, rapina, regina, resina, ruina,

runcina, sagina, Salamina, vagina, vrina, architriclinus, caminus, catinus, cuminum vel cyminum, Cyrinus, echinus, pistrinum, puluinus.

Itas in nominibus substantiuis: bonitas, breuitas, fœlicitas, &c.

Iter, itus, & ecus in aduerbiis: altrinsecus, antiquitus, fortiter, funditus, intrinsecus, penitus, suauiter, &c.

Ito in verbis maximè frequentatiuis: vt cogito, exagito, febricito, habito, latito, mussito, sollicito, sciscitor, visito, &c. *Excipe* irrito, seu vt alij scribunt, irito ab ira.

Olus, ola, olum, præsertim in diminutiuis: vt Areola, aureolus, ariolus, Apostolus, doliolum, dyscolus, epistola, malleoli, mortariola, parabola, obolus, peribolus, puteoli, symbolum.

Vlus, vla, vlum in nominibus præcipuè diminutiuis: vt anniculus, arula, auricula, angulus, auunculus, baculus, bubulus, discipulus, credulus, famulus, fasciculus, mandibula, macula, manipulus, operculum, pabula, reticulum, renunculi, scapula, singuli, subula, tortula, thuribulum, tribulus & tribula, reliquáque penè innumera. *Excipe Eubulus & Aristobulus.*

Vlo in verbis: ambulo, commaculo, contribulo, iugulo, postulo, &c.

Vplus, vplex, vplico & vpliciter: vt centuplico, quadruplex, septulum, &c.

Iis omnibus adde composita à *facio, fero, gero*, quæ penultimam corripiunt: vt *armiger, aurifex, lucifer, maleficus, pacificus, panifica, pomifer, vociferor,* &c.

Qui reliquas terminationum communium regulas & ab iis exceptiones habere voluerit, adeat partem vndecimam Prosodiæ nostræ : *hic enim tantùm Scripturæ enucleandæ vacamus.*

Decima Regula.

Penultima *vocatiuorum secundæ in* I *desinentium à nominibus propriis in ius*, in pronuntiatione attolli debet, licèt nonnumquam naturâ suâ sit breuis : sic *Ambrósi*, *Gregóri*, *Pompíli*, *Virgíli*, penultimâ elatâ dicimus, æquè ac *Antóni*, *Cornéli*, *Geruási*, *& Protási*, quæ duo postrema vel saltem vltimum nonnulli vitiosè deprimunt, cùm longè incertius sit illorum penultimam corripi, quàm præcedentium *Ambrósi* & *Gregóri*, quæ tamen vulgò ab omnibus attolluntur.

Vndecima Regula.

Particulæ Encliticæ *que*, *ve & ne*, transferunt tonum suum in vltimam dictionis, cui velut appendices adhærent : sic *ergóne*, *belláque* , *sanctáve*, *lumináque*, &c. An verò idem dicendum sit de particula *met*, in ipsemet, mihimet, &c. affirmare non ausim: Hoc certum in *pleraque* & *vtraque* nominatiui vel accusatiui casus attollendam esse antepenultimam , & *itaque* coniunctionem ab *itáque* aduerbio composito ex ita & que esse pronuntiatione secernendam.

Duodecima Regula.

Coniunctiones & aduerbia ex pluribus partibus composita ferè semper vt coniuncta leguntur,

ſique penultima longa ſit naturâ vel poſitione, attollitur: vt patet in *iamdudum*, *iampridem*, *quamobrem*, *vſquequaque*, &c. Sin verò breuis ſit, in pronuntiatione deprimi ſolet, vt fieri amat in *áforis*, *ámodo*, *ántequam*, *déforis*, *déſuper*, *eátenus*, *nihilóminus*, *quòmodo*, *quodámmodo*, *úſquequo*, &c. fateor tamen à quibuſdam nonnunquam diuidi, & diſiunctim pronuntiari: quod ſemper obſeruatur in *quo minus* ad diſcrimen ni fallor aduerbij *cóminus*.

Decimatertia Regula.

I in vocibus Græcis nunquam vt conſonum initio dictionis legitur, ſed ſemper vocalis perſonam ſuſtinet: vt *Iaſon*, *iaſpis*, *iota*, *Hieronymus*, &c. in Hebræis ſemper conſonat, etiam dum Latinè proferuntur: vt *Iairus*, *Ieruſalem*, *Iordanes*, *Ioppita*, *Iubileus*, in noſtra verò vernacula lingua non ſolùm Hebræa, ſed etiam Græca vocabula I principio dictionis poſitum cum ſequenti vocali conſonantis inſtar coniungunt: vt *Ieroſme*, IESVS, *Ierarchie*, *iaſpe*, *Iaſon*, *Ieruſalem*, *iubilé*. An verò IESVS & *Hieroſolyma* quæ ad Græcam propriùs originem accedere videntur, diſſolutè quoque ac diſiunctim Græcorum more proferri debeant, aliorum malo iudicium audire, quàm meum in medium adducere.

Decimaquarta Regula.

In dictionibus Hebraicis trium, quatuor, pluriúmve ſyllabarum, ſiue ſimplices ſint, ſiue com-

positæ, penultima vocalis vnam simplicémque consonantem præcedens, censenda est in pronuntiatione breuis, *nisi contrarium expreßè designetur.* Sic Abiathar, Absalom, Achitopel, Benjamin, Iephone, Melchisedec, Moyses, Nephthali, Salomon, Zörobabel, & similia propemodum infinita penultimâ breui pronuntiari solent.

Aduerte autem primò *meminisse me vnius ac simplicis consonantis.* Nam si duæ consonantes aut littera duplex penultimam vocalem sequantur, certum indubitatúmque est eam esse positione longam ex regula prima: vt Arpháxad, Adonibézec, Eleâzar, Eliêzer, Garîzim, Giézi, Maôzim, Nabájoth, &c. quibus adde Latino-Græca hæc & similia, *Amazon, aromatizo, colaphizo, obryzum, thesaurizo,* &c.

Aduerte secundò addidisse me in fine regulæ, *nisi contrarium expreßè designetur:* in secundo enim indice vocum S. Scripturæ huic amussi subiecto Abíron, Cetûra, Salóme, Zabúlon, & pauca alia Latino Hebræa annotabuntur penultimâ productâ pronuntiari debere,

Aduerte tertiò inseruisse, *siue simplices sint siue composita,* vt quorumdam opinionem reiiciam, qui composita quædam vocabula communi vinculo, *Hebræi Maccaph, Græci hypodiastolen vocant,* inter se connexa, disiunctim elatáque penultimâ pronuntianda existimant, contra quam tum vulgi tum politiorum hominum vsus admittat.

Decima quinta Regula.

In nominibus Hebrææ originis vbicumque in penultimâ vocalis aliqua ante aliam vocalem reperitur, antepenultima inter pronuntiandum eleuanda est, & deprimenda penultima: *sicque in Galliâ & alibi ab eruditissimis quibusque factitari videmus.*

Exempla primæ vocalis A.

Abraam, Achímaaz, Chánaan, Gábaa, Gálaad, Isaac, Ismael, Israël, Míchaël, Phárao, Sénnaab, &c.

Abísai, Adónai, Dothain, Ephraim, Isai, Mésraim, Sárai, Sínai, Tubálcaim, &c. *quam enim ob causam in* Apphaim, Tholmai, *& nonnullis aliis penultimam accentu acuto insigniat P. Tirinus, planè ignoro.*

Exempla vocalis secundæ E.

Andreas in 4. Euangelistis, & Æneas *quidam paralyticus* Actorum cap. 9. in Græcis enim codicibus, quibus haud dubiè maior fides, quàm tritæ indoctorum hominum consuetudini deferri debet, penultima per vnicum ac simplex E scribitur: sic Arbee, Beseleel, Bersábee, Sébeon, Simeon, &c.

Exempla tertiæ vocalis I.

Anánias, Azárias, Béria, Ierémias, Isáias, Marathias, Mátthias, Mádian, Oóliab, Zachá-

rias, Abiu, Arioch, Dániel, Mélchiel, & alia innumerabilia, quæ vno dumtaxat excepto nomine *Maria* ob rationes paulò pòst ſubiungendas penultimâ correptâ pronuntiari debent, *& verò pronuntiantur ab omnibus doctis indoctiſve in Gallia.*

Exempla vocalium O & V.

Ahoe, Achínoam, Gélboe, Róboam, Séboim, Caſſuim, Emmánuel, Iòſue, Néphthuim, Phánuel, Ráguel, &c. quamuis enim in Græcis codicibus poſteriorum vocum penultima, *vt pronuntiatio Græca aliquatenus Hebraicæ reſpondeat*, per diphthongum ʋ ſcribi, & vltima ferè ſemper acui ſoleat, *Latini tamen omnes, etiam ij qui noſtratibus Gallis in aliis toto cœlo diſſident, penultimam deprimunt.*

Cæterùm hîc obſerues velim pleroſque finitimos Galliæ populos pluſquam adamantinis inueteratæ conſuetudinis vinculis irretitos penultimam in quibuſdam propriis nominibus, *maximè vbi vocalis prima tertiam ſequitur, v. g. in Amarias, Zacharias, & ſimilibus*, non ſolùm inter legendum protrahere, ſed etiam vulgari productionis notâ ſeu accentu acuto inſignitam proponere in Miſſalibus, Breuiariis, atque adeò in ipſis ſacris Bibliis, quæ Antuerpiæ ante aliquot annos cum doctiſſimis P. Tirini commentariis prodierunt. *Verùm vt inſolentem auribus noſtris pronuntiationem, quæ nullâ ratione nititur, firmâ ratione confutatam à noſtris finibus procul amandemus, ab iis.*

Quæritur primò: cur non omnem penultimam vocalem cùm altera itidem vocalis proximè consequitur, similiter attollunt: nec Achíor, Isáac, Isráel, Ephráim, Siméon, atque huiuscemodi quamplurima vocabula penultimâ extentâ pronuntiant? Deinde, si vocalibus cæteris id priuilegium denegant, solíque tertiæ concedendum putant, cur non idem vbique atque in omnibus eiusdem rationis dictionibus pariter attentant? Cur non Abíu, Athalía, Bethanía, Bería, Daníel, Gorgías, Lyzías, Lysanías, Razías, Romelías, Sochelía, & similia nonnulla producto iota & elatâ penultimâ proferunt? *Cùm enim eadem sit natura, eademque conditio eiusdem vocalis, siue primam, siue aliam quamcumque præcedat, idem quoque priuilegium omnino postulare videretur.*

Nec dulcissimo *Mariæ* nomine velut scuto quodam se protegant. Illud enim siue *Deiparam matrem*, siue *Mosis sororem*, siue *Magdalenam*, siue aliam quamcumque mulierem Hebræam, aut ab Hebræo fonte nomen illud mutuatam significet, merito iure ab omnibus Latinis etiam in Gallia penultimâ extentâ profertur; tum quia multi Christiani Poëtæ illam in carmine produxerunt, tum maximè ad statuendum discrimen aliquod, quo à Latinis nominibus, Appellatiuo ac plurali Maria à mare, & proprio ac singulari *Maria* (quod à *Mario*, vt à *Valerio Valeria*, à *Lucretio Lucretia* deductum in vsu erat apud Priscos Romanos) Hebræum istud peregrinúmque nomen secerneretur.

Neque ſecundò ad *accentum Græcum* velut ad aſylum confugiant, nam præterquam quod in Athalia, Lyſanias, Razias, & ſimilibus nullam Græci accentus rationem habent, oſtendam ſequenti regulâ quàm effugium iſtud vanum ſit. *Fateantur ergo priſtinum illum pronuntiandi morem certiſſimas Gothicorum Barbaricorúmque temporum reliquias rationis patrocinio deſtitui, & ad eum è ſcholis doctorúmque hominum cœtibus profligandum, quod in vniuersâ Galliâ multíſque aliis regionibus factum iam videmus, nobiſcum totis viribus inſurgant.*

Decima ſexta Regula.

Nomina fœminina in *ia* per iota tantùm, *quæ à Græcis ad Latinos ingenti prorſus numero tranſierunt*, ſiue penultimam, ſiue antepenultimam acuant, correptâ penultimâ pronuntiari debent omnia: omnia, *maximè verò Prouinciarum Regionúmque propria vocabula*, vt ea in primo indice inculcare minimè neceſſe ſit.

Quâ in re inſigniter peccant iidem, *quos ſuperiore regulâ refellimus*, exteri homines. Primò enim ſibi non conſtant, ſuóque ipſi gladio ſe iugulant, cùm in nominibus Aſtrologia, agonia, dyſentería, Euchariſtia, genealogia, neomenía, phantasía, philoſophía, polygamía, toparchía, zelotypía, & quibuſdam aliis *penultimam attollunt, quam deprimunt* in iſtis Arménia, Aſſyria, apória, blaſphémia, cáſſia, Eccléſia, Ephébia, Euódia, Galátia, hydria, hiſtória, Meſopotámia, melódia, Piſídia, ſcenopégia, ſcória,

ſymphónia, tragœdia, &c. nunquid amabo ſimiliter Græca ſunt omnia? numquid eiuſdem declinationis ſimplicium? numquid eodem accentu, & quantitate prædita? Cur ſtatuitur à Latinis diſcrimen, vbi nullum Græci agnoſcunt? Quis non linguæ Græcæ ignarus exiſtimet penultimam in *peripheria & philoſophia*, &c. quantitate conuenire, cum ſimili tono donari à doctis audiat?

Deinde quis neſcit penultimam nominum in *ia* corripi, niſi quædam, eáque pauca excipias, quæ metricâ neceſſitate coactus Homerus produxit.

Poſtremò ad accentum fruſtra confugitur: *ſi enim accentus ratio haberi debeat, non verò ipſius quantitatis:* cur non Archíater, cyminum, diœceſis, Epiphánia, Heráclitus, ídola, mátheſis, perípſema, metamórphoſis, Seleúcia, ſympáthia, tetrágonum, rhymíama penultimâ correptâ? cur non aéra, canónes, diphthéram, Latómos, Melpoménen, ſymphoniam & ſimilia multa penultimâ elatâ pronuntiant? quæ ſanè monſtra ſi quis in nobili doctorum hominum coronâ effutierit, næ ab omnibus vt Græcarum litterarum rudis & ad diſcipulorum ſubſellia relegandus, riſu ſanníſque explodatur.

Decima ſeptima Regula.

In Latino-Græcis vocibus, quæ ſucceſſu temporis Romanâ ciuitate donatæ ſunt, & modò ab omnibus paſſim vt Latinæ vſurpantur, *quando penultima eſt breuis, antepenultima inter pronuntiandum attollenda eſt*, quamcumque ſyllabam

occupet accentus Græcus; Econtrà verò *quando penultima longa est, eadem attolli debet*, siue in eâ, siue in alia syll ba resideat Græcorum accentus. *Quam regulam maximè generalem omnes plurimi faciant oportet, ideóque ad discendas Græcæ prosodiæ regulas maturè se accingant, ne in eruditorum consessu cum maximo vultus rubore hærere sæpius, pallere, cespitare, labi, atque ignorantiam palam profiteri cogantur.*

Fateor tamen diuturnæ multorum sæculorum consuetudini, *sicubi apud omnes & vbique eadem perseueret, & vnam alteramve dictionem dumtaxat corrumpat*, nonnihil esse concedendum: nec omnia ita ad viuum esse resecanda, vt solus contra torrentem niti ac obsistere velis. Quare, vt omnibus libera sentiendi, sin minùs loquendi, relinquatur facultas, in sequentibus indicibus singula suis locis annotare non grauabor, in quibus vulgò ab omnibus peccari cuipiam κριτικωτέρῳ fortè videri possit.

Decima octaua Regula.

Nomina Latino-Græca, quæ in penultimâ vocalem ante aliam vocalem habent, eamdem cum Latinis & Latino-Hebraicis vocibus legem subeunt, id est penultimam breuiant, vt *Aloe, Athenobius, bdellium, Boreas, collyrium, Dorotheus, epinicion, encœnia, Gazophylacium, gymnasium, Iconium, Lycaonia, Lydia, Media, Numenius, Pelusium, pastophoria, phylacteria, Rhegium, Samothracita, Theodotus, Timotheus, Xenia, Zizania*, præter ea quæ reg. 16. in medium fuere prolata.

Excipiuntur *Alexandria*, *branium*, *Darius*, *Magia*, *Menelaus*, & plurima alia, quæ in secundo Indice ſuo quæque ordine ac loco reperies.

Decima nona Regula.

Crementa *nominum Latino-Græcorum in a, as, is, & or* corripiuntur, vt ænigmata, caumate, domatum, ſmigmata, &c. Hebdomadem, Hellada, Herodiadem, Hyades, Olympiadem, Orthoſiada, Pleiades, &c. Antipatridem, iaſpidem, paropſidis, periſcelides, Phaſelida, Ptolemaidem, pyramides, ſinopide, &c. Caſtorum, Eupatorem, Nicanorem, Philometoris, &c.

Vigeſima Regula.

Grementa nominum Latino-Græcorum tertiæ *in On, quæ in ſacris codicibus occurrent*, producenda ſunt omnia: vt Aſcaônis, Babylônem, Galliônem, Herodiônem, Oriôna, Sidônem, Sicyônem, Timônem, Tryphônem, &c.

Præter artemonem, Dæmonem, Iáſonem, Lacedæmonem, Macédonem, Mnaſonem, Philémonem, pépones, síndonem. *De aliorum crementis conſule indices.*





APPENDIX

AD PRÆCEDENTES REGVLAS Rectæ Pronuntiationis.

CVM præcipiti quodam calore tornatum primò hocce opusculum incudi pararem reddere, & Bibliothecæ nostræ Bituricensis forulos omnes excuterem, occurrit mihi fortè fortuna libellus anno 1527. Lutetiæ Roberti Stephani Typis excusus, hoc titulo, *Difficiliorum Accentuum, compendium Auctore Francisco Menese Minoritâ Hispano.* Eum illicò in manus sumpsi, nec indiligenter lectum probaui, atque ex paucis eius paginis, vbi superioribus nostris Regulis laudatæque Gallorum consuetudini consentientem deprehendi, nonnulla excerpsi: Eò sanè libentiùs, quò à Gentili suo & Antonij Nebrissensis, vt ipse de se prædicat, discipulo, Hispani, aliique exteri homines, si qui adhuc præteritorum temporum imperitiam sectantur, non nudiustertius, sed ante centum, & quod excurrit, annos acriùs reprehensi, edoctique familiariùs tandem aliquando resipiscant, eamdémque cum nostratibus Gallis aliisque politioris literaturæ amantissimis pronuntiationem posthidac vsurpent.

Ex

Ex eius Prolegomenis.

OMNIS dictio vel Latina est, vel Græca, vel Barbara: Si Latina dictio sit, regulis Latini accentus vtendum: vnde *mulier* & *familia* in genitiuo accentum in antepenultima, cùm penultima sit breuis, nam ex regula Latini accentus *Omnis dictio polysyllaba penultimam habens breuem, in tertiâ à fine habet accentum.*

Si verò dictio Græca sit, tunc quantitatem quidem syllabarum è Græco sermone trahemus, *sed accentus Latini regulas accommodabimus.* Quantitatem, inquam, vel per vocales determinatæ semper longitudinis, vt *Paracletus*, *idolum*: atque breuitatis, vt *genesis*, *Cleophas*: vel per vocales indeterminatæ quantitatis vt in his, *Philostratus*, *polymitus*, *lecythus*, in quibus licèt illæ vocales penultimæ breues sint, in aliis tamen vocibus inueniuntur produci.

Porrò si Barbara sit lectio, & declinetur regulariter siue per extensionem, vt *Iacobus*, *Iosephus*, *Adamus*, *Theodoricus*, &c. accentum in eadem syllabâ reseruabunt, vbi erat ante extensionem: quapropter cùm omnes illæ dictiones antequam extenderentur, in vltimâ haberent accentum, eadem factâ penultimâ accentum eundem retinebit: si verò eiusmodi Barbara declinantur irregulariter, id est nullâ extensione factâ, vt *Adam Adæ*, *Abraham Abrahæ*, tunc tam in quantitate vestigandâ quàm in accentu locando, regulis Latinis omnino vtemur. *Ac paulò pòst*

Gg

Si dictio Græca sit, & Latinè declinetur, tunc, *quamuis penultimæ quantitatem ex Græca literatura mutuemur*, eâ tamen exploratâ, Latini accentûs regulis vtemur, vt in his *idolum*, *energia*, *Paracletus*, in quibus accentum super penultimam locamus, quia *idolum* per omega semper longum, *Paracletus* per e semper longum, *energia* verò per diphthongum apud Græcos scribuntur. E diuerso autem in his *Carpophorus*, *Cathedra*, *Ecclesia*, in quibus accentum antepenultimæ damus; siquidem *Carpophorus* per omicron semper breue, *Cathedra* per epsilon semper etiam breue, *Ecclesia* per simplex iota quod ante primam vocalem breue est, Græcè scribuntur. Dixi autem à Græcis nos accipere in eiusmodi Latinè declinatis solam quantitatem penultimæ, quia illâ cognitâ regulas Latini accentûs applicamus, *Omnis dictio polysyllaba*, &c.

Apud Græcos sex illæ dictiones, quas exempli causâ subiecimus, *Idolum*, *Energia*, *Paracletus*, *Carpophorus*, *Cathedra*, *Ecclesia*, contrariis prorsus accentibus proferuntur: nec hoc solùm, verùm & intra eandem declinationem eadem dictio etiam sine vllo cremento variatur, vt alium in recto, alium in obliquis habeat accentum: qui mos à Latinorum auribus sanè quàm abhorret *Quod verò subdit postea Macedonas, aëra, æthera, penultimâ elatâ pronuntiari debere seruato accentu Græco, eruditissimis displicuit.*

Ex ipsa Accentuum summâ.

Energiæ idcirco penultimam acuit, quia per

diphthongum ſcribitur Græcè, quemadmodum latria, idololatria, dulia, hyperdulia, elegia. Antiochia, mœchia, pædia, Eugenia (*quâ in voce à ſuo, haud dubiè Nebriſſenſi in fraudem inductus quemadmodum & Deſpauterius*,) Hermenia, & id genus pleraque, quæ imperiti Græci ſermonis & Poëtarum ignari penultimâ breui proferunt.

E contrario autem, quæ per iota *vocali ſequente* à Græcis ſcribuntur, *apud nos breuiant penultimam*: vt ſophia. philoſophia, ſymphonia, monarchia, hierarchia, theologia, aſtrologia, aſtronomia, geometria, melancholia, harmonia, orthographia, geographia, proſodia, etymologia. *Et vniuerſa illa Hebraïcorum ſylua in IAS terminata*, vt Eſaias, Zacharias, Ieremias, Selemias. *Hæc*, inquam, *omnia*, eiſque ſimilia propè innumera, *penultimâ breui, hoc eſt accentu in antepenultima locato*, contra vulgi opinionem *modulanda ſunt*.

Quæ probatione maiori non indigent, cùm euidentiſſimis, atque à nullo vnquam negatis Latinæ linguæ fundamentis fulciantur; qualia ſunt, *Penultimâ exiſtente longâ*, eidem eſſe dandum accentum, *eádemque rurſus breui*, in antepenultima eſſe locandum. *Tum poſt laudatos ſeptem ex Iuuenco ac Prudentio verſus, hæc verba ſubiungit.*

Zacharias, Ieremias, & ſimilia accentu in antepenultima efferre ne trepides. Nec ſi iidem Poëtæ interdum iniquis metri ſpatiis conſtricti, vel

Poëticâ licentiâ prætergressi aliter scripserint, magis vsurpandum putes, quàm quod regulis suffragantibus non rectè dixisse non ambigis.

Nòmina à θεὸς composita accentu in antepenultima proferenda sunt: vt *Dorotheus*, *Dorothea*, *Dositheus*, *Timotheus*, de quo vide, *inquit*, Erasmi clamores, siue lamenta in principio annotationum in Epistolam ad Philippenses, & Laurentium in Annotationibus.

Genesis posthâc accentum in tertia à fine locantes, incunctanter dicamus, quia penultimam breuem sortita est &c.

Dupliciter in dictione *Eremus* peccatur à nostris, quia & sine aspiratione in primâ & accentu in penultimâ proferri debet.

Adiectiua in *inus* materiam, colores, lapillos, odores siue vnguenta significantia, penultimam breuiant, & in antepenultimâ habent accentum, &c.

Origenes accentu in antepenultima, sicut & omnia composita à ὄρος & γένος, &c.

Alexandria accentu in penultima quæ & diphthongo scribitur Græcè.

Euphrates in recto & accusatiuo accentum in penultima habere debet, quippe quæ longa sit, vt probat ex Iuuenale & Prudentio.

Comederitis & similia crementa subiunctiui ait producenda semper, *sed huic hac in parte non suffragor*.

Mulierem ait contra ineptos quosdam penultimam corripere, quod prolixè admodum

probat ex Terentio, Martiale, &c.

Tristega. Bone Deus! quantâ quamque superfluâ, ne dicam ineptâ disputatione quidam se torquent super huius dictionis accentu, cùm luce clariùs constet eruditis in sermone Græco penultimam breuiari.

Dictionem *Idolum* penultimam producere, neque is ignorare poterit qui prima Græcæ literaturæ elementa cognouerit, cùm scribatur per omega, quod æternùm est longum, cui nullâ Poëtarum licentiâ in re tam perspicua refragari vnquam valebit.

Ephrata, *Gerara*, *Polymitus*, *Heliopoleos*, *Decapoleos*, rectè ait antepenultimam acuere correptâ penultimâ.

Participij *Recensitus* penultima & produci potest & breuiari, quia & quartæ coniugationis & secundæ reperitur. Si tamen sacras inspexeris literas, vix recensio quartæ, sed semper recenseo secundæ comperies. Quâ ratione semper in sacris literis antepenultima sortiri deberet accentum, cùm à recenseo recensitum deducatur penultimâ breui. *Inualuit tamen contrarius vsus, & docti fere omnes penultimam attollunt hoc tempore.*

Morticinum rectè ait penultimam producere, eósque meritò exsufflat qui à *morte* & *cado* deriuant.

Eleazarus, *satanas*, ait penultimam protrahere, vt Iacobus, Iosephus: *reluctatur tamen politiorum hominum consuetudo.*

Anathema & *familias* in genitiuo pro familiæ scitè contendit antepenultimam acuere.

Paralipomenon accentu in penultima efferri debere asserit, quia genitiuus æquè Græcus est, atque πεπεδημένων & πεθαρατωμένων. *Verùm cùm genitiui quidam simili formâ efferantur à Latinis*, vt Poëmaton, Epigrammaton, &c. *correptâ penultimâ, non est quòd sollicitare debeamus veterem morem.*

Stateris, luteris, characteris, crateris, Soteris rectè ait penultimam extendere.

Vtraque in nominatiuo & accusatiuo penultimam corripere, ac consequenter accentum in antepenultima habere palam ei erit, qui nouerit quod ignorare nulli Latino fas erit, A terminalem in duobus his casibus breuem esse, cùm sit dictio composita, sicut *eadem, pleraque*. In ablatiuo verò eâdem, vtrâque, penultima accentum retinet.

De longè, vbi fusè inuehitur in imperitos illos sciolos, qui vitandæ confusionis causâ in vocibus planè similibus accentûs Latini regulas omnes pessumdabant. *Equidem gratulandum nobis quòd hæc scabies iampridem detersa nostri sæculi Grammaticos non infecerit.* Quocirca, *pergit Menese*, ferè, fermè, sanè, palàm, *etsi vltimam acuant* cum cæteris dissyllabis, in priore accentum recipient: Aliò, aliàs, maximè, cum aliis polysyllabis, quorum penultima est breuis, in antepenultima: Aquinâs, Tolosâs, próinde, síquando cum reliquis penultimam longam habentibus in eadem penultima. Vergili verò, Anastasi, Geruasi, Protasi, Silueri, cum aliis abscissis penultimam breuem ha-

bentibus, in antepenultima accentum sortientur. *Quod eruditi hominis decretum ne vsquequaque verum sit, obstat inueterata vsque ab Agellij temporibus consuetudo, quâ vocatiuos omnes secundæ diminutos pronuntiare solent etiam delicatissimi accentu in penultimâ, quanta quanta fuerit, collocato: vt obseruatum habes Regulâ 10. nostræ Amussis.*

Salomon, ptisanas, lecythus, exedra, synedra, cathedra, conscidit à scindo, eruditè probat breuiare penultimam. *Idem quoque de genitiuo* Ibicum *dixerim*, quem ipse ab *Ibix*, alij, vt arbitror, meliùs ab *Ibex* deriuant.

Aristobulus, Heliodorus, Isidorus, Theodorus, Theodora, Diodorus, Polydorus rectè elatâ penultimâ pronuntianda docet. Corripienda verò *venimus* adorare eum, Matthæi cap. 2. *Andreas, Cleophas, Lysaniâ, Trachonitidis, Epænetus, idololatra, Aretas, Parmenas, eleemosyna, Macedone, artemone, Taneos, homilia, cœmeterium, Lucia* fœminæ sanctæ nomen accentu in antepenultima, cùm sit dictio Latina, & eius penultima breuis vocalis scilicet ante vocalem, sicut & in eius masculino *Lucius*.

Idem quoque prudenter censuit attollendam producendámque penultimam in *Simonem, Magdalena, Ituræa, Abilina, Paracletus* per e longum, accentúque in penultima constituto, & scribi & efferri debere tam est certum atque exploratum apud eos, qui cultos atque eruditos auctores lectitant, quàm nouum atque mirabile, qui intra pauculos vulgarium atque protritarum

præceptionum codicillos ſemper incluſi, egregij nihil, neque ipſi vnquam guſtarunt, nec alios guſtar debere obſtinatiſſimè aſſeuerant. Item in *perıpſema, Idolıum, brabıum, ſeu brauıum, Sapphıra, Antiochıa, Epıcureı, Theſſalonıca, Bernıce;* quia ſic, ait, apud Græcos ſignatur (quæ inſulſa eſt ratio) *Salmonem, Thyatıra, podere, rhomphaeam, cynomyam, dıœceſis.* Addit porrò ex vulgari etiam doctorum hominum ſententiâ (quam pluribus in Elencho integro refutauimus,) *Quòd verò Idolothytum in penultima habeat accentum, non ſolùm Laurentius Valla, Antonius Nebriſſenſis, aliíque eruditioris iam ſaeculi conſentiunt, ſed adhuc Mamotrectus non ignorauit.* Conſuleſis tamen hac de voce compoſita Elenchum noſtrum, vbi contrarium firmiſſimis antiquorum Poëtarum teſtimoniis conſtabiliuimus.


Ex eo quoque diſces, quod nos antea docuimus, *lithoſtrotos* & *eleiſon* accentu in antepenultima, *Apollyon* verò in penultima pronuntiari debere, quia vocabula merè ſunt Græca; & *vt ego aliâs monui, Græcis characteribus deſcribenda, vt apud Lucretium, Lucilium, Martialem, Auſonium, alióſque Poëtas, multa quæ ſunt inſerta Græca, ſuis quoque litteris deſignantur, quamquam contrarium in ſuo Lucretio molitus ſit Obertus Gifanius.*

Quæ ſubiicit de verbis *addieo, allido*, compoſitis *à lego legas, à cado & caedo, concino, conclaua, clandeſtinus, erudit, erutus, emano, irrito, redite à redeo, reddite à redda, ſuffoco & præfoco,* quò mínus & cóminus, sí quidem, cùm *dubitanter*

bitanter, siue *per conditionem*, vt Lucæ cap. 13. si quidem fecerit fructum, siquidem *cùm est coniunctio causalis, rationemque reddit*, vt 1. Regum 13. siquidem nos erupimus, & Lucæ 6. siquidem & peccatores hoc faciunt, *trânsmigro, demigro, traduces* à tradux, *trucido*, similiàque vtpote iam satis ex Elencho & aliunde manifesta non exscribo. Quædam quoque lepidè comminiscitur de pauló-minus & paulò mínus, quæ tamen docti non obseruant, vbique enim dissoluunt in duas dictionés, & penultimam vtriusque attollunt.

Est prætèrea vitium illud summoperè inter cætera vitandum exterminandúmque, in quo non pauci nostrorum, *Hispanos notat*, turpiter atque pueriliter peccant, habentúrque ridiculò ab aliis nationibus: cùm videlicet pro M literâ in fine dictionum non minùs fœdè quàm barbarè N proferunt, *Dominun, Deun, requien, æternan*, &c. non dissimiliter permulti peccant D pro T in fine proferentes, capud pro caput, & pro ed, ac similia: qui quàm apertè barbarizent, nullus rectæ prolationis peritus ignorat. *Atque hæc delibata sunto ex libello Francisci Menesis Minoritæ Hispani.*

Appendices verò ex Emmanuele Aluarez in fine Prosodiæ, atque ex Iacobo Gretsero, Societatis nostræ eruditissimis hominibus, quòd cuiuis obuia sint, omittimus.





GEMINVS INDEX

DIFFICILIORVM VOCVM Sacræ Scripturæ.

Iis omißis, quæ ex præcedentibus Regulis iam ſatis cognita ſunt.

A inchoata

Penultimam breuiant.

ABANA ſeu *Abena*, *Abarim*, *Abaron*, *Abdias* vt vulgò & apud Clem. Stromateo primo, *Abela*, *Abeſan*, *Abiſag*, *Abigai*, *Abſalom*, accipiter, acharis, *Adama*, adamantinus, *Adramelech*, adytum, *Æneas* paraliticus Act. 9. *Agabus*, alacer, alapa, *Alcimus*, amita, *Amphipolis*, amphora, anaglypha, anathema vbique in noſtra verſione, *etiam cap. vltimo libri Iudith*, anchora, *Andreas*, *Angelus*, anima, animus, anticipo, *Antiochus*, *Antipas*, *Antipater*, *Apollophanes*, apoſtata, *Apoſtolus*, aquila, aquilo, *Arabia*, Arabes, *Aradus* 1. Mach. 15. arbiter, arbitror, *Archangelus*, arceuthinus, *Areopagus*, vt fusè probatum alibi, *Aretas*, *Armagedon*, *Aroër*, *Arſaces*, artaba, *Artemas*, *Aſiongaber*, aſſecla, *Aſyn-*

critus, *Asaroth*, & *Astaroth*, attacus, azymus, vt vulgò omnes.

At eam producunt.

AARON, *Abiram*, *Abiron*, *Abdias* vt in LXX. Sixti, *Abobus* 1. Mach. 16. *Absalomus*, accuso, achates, accitus, *Acrabatane*, *Adiram*, *Adoniram*, *adoro*, *Adrumetinus*, *Aduram*, ægroto, affinis, *Agabus* vt quidam malunt, *Agarei* & *Agareni*, *Alexandria*, alioquin, *Ampliatus*, in Græco dumtaxat dicitur, *Amplias*, anathema ait Gauantus communiori vsu produci, sed à vero abludit, vt in pluribus aliis, quod in Appendice pleniùs ostendimus: anetum, *Antiochia*, antiquus, *Apamea*, apotheca, *Arbela*, vel vt alij scribunt *Arbella*, arena, *Arbona*, *Harbona* vel *Carbona*, Areopagita, Archisynagogus, Architriclinus, Arcturus, *Ariarathes*, *Arimathaa*, meliùs quàm Arimathia, *Aristobulus*, *Arius* 1. Mach. 12. aroma, *Arphaxad*, *Asarela*, *Asemona* vel *Asemonas*, ascopera saccus coriaceus, *Assuerus*, astutus, asylum, *Atergateum* locus Deæ Syriæ sacer 1. Mach. 12. *Athena*, *Attalia*, Actorum 14. auriga, aurora, *Ausitis*, austerus, *Azeca*, *Azotus*. De aduerbio ACIDE, quod controuersum est, vide quæ prolixiùs annotauimus in calce huiusce Schediasmatis.

B Inchoata

Penultimam corripiunt.

BABYLON, *Bacchides*, barathrum, *Beelphegor*, *Beelzebul*, *Betzecha*, *Bethphage*, *Bethabara*,

Bethauen, *Bethleem* & similia à Beth composita, *Bosphorus* cap. tertio Abdiæ, Bubalus.

Eam verò producunt.

BALTASSAR, geminato quippe sibilo scribitur in emendatioribus libris, *Bar* IESV, *Bariona*, *Bahurim* 2. Reg. 16. *Bernice*, Actorum 25. *Berœa*, *Bethbera* Iudicum 8. *Bethsura*, *Bethóron*, ita enim apud LXX. Sixti in libris Paralip. & 2 Mach 11 & apud Iosephum 12 Eusebius tamen de locis Hebraicis scribit βηθωρών, nisi mendosus sit codex, bibliotheca, bilibris, blasphemus, brauium Græcè βραβεῖον, butyrum.

C Inchoata


Penultimam corripiunt.

CACABVS, calamus, calamitas, calàthus, caliga, *Callisthenes*, camelopardalis, camera, *Candacis* à Candax, vel *Candaces* à Candace; vt est in Græco Actorum, *Cappadoces*, *Carnion* 2. Machab 12. *Castorum* insigne Actorum 28. à *Castor*, sunt tamen qui Castrorum legant, vel à Castus deducant, cathedra, celebris, celebro, cerebrum, *Cerethi*, *Chereas* Mach. *Charcama*, *Cherubim* ita omnes etiam eruditissimi in his saltem regionibus, chirographum, chlamydem, *Chodorlahomor*, Græcè χοδολλογομόρ vel χολλογόμορ, Chrysolithus, chrysoprasus, chytropodes, cinyphes, cynira vel cinnyra instrumentum quoddam Musicum, corripuit S. Nazianzenus, producunt Grammatici, circumpedes, cithara, *Cleopatra*,

çoinquino, colaphus, collyrida, collyrides, collyrium, colocynthides, coluber, cominus aduerbium, commodo, confidero, confolido, contamino, contumax, creagra, cubitus, cucumeres, cyathus, cymbalum.

Protrahunt penultimam.

CADAVER, *Cademoth* Deuter. 2. vel *Cedimoth* Iofue 11. *Calano* feu *Calanne* vrbs, quæ Ctefiphon poftmodum dicta, caligo nomen & verbum, camelus, *Carmelus*, caffidile initio capitis 8. Tobiæ, caftigo, caftrametor, celeuma, ceruical, *Cetura*, characterem, cinnamomum, *Cocytus*, cœnomyia, collega (non colligo aut collegium) colonus, communis, compages, compeditus, conclaue, çonditus à condio quartæ coniug. conopeum Iudith vltimo, conternans vitula Ifaiæ 15. v. 5. & Ieremiæ 48. v. 34. non confternans, contribulis, corbona feu corbonas (vix enim vnum eft in *ona* verbum, quod in tota Scriptura penultimam corripere debeat) *Corneli*, cornutus, coturnices, cratera crateræ, & crater crateris, *Cyrene*, *Cyrinus*, & alia de quibus in Amuffi. Ceterùm *Catamane*, Ezechieli 46. v. 14. & fequenti, duæ funt voces fignificantes *diluculo*, *in aurora*, *ipfo fummo mane*, ex prepofitione Græca κατ' & Latino aduerbio *mane* : καὶ μαναὰ ἐπ' αὐτῷ τῷ πρωὶ ποιήσει.



D Inchoata

Corripiunt penultimam.

DATHEMAN, *Debora* & *Debbora* vt vulgò, nam in Iudicum libris ſcribitur per omega, *Decapolis Decapoleos*, decimæ, decrepitus, decoro verbum vnde condecoro & dedecoro, dedecus, *Demophon*, deſidero, determino, diaconus, datiuus autem pluralis *diaconibus* vſurpatus à vulgato interprete Catholiciſque ſcriptoribus, ne quemquam nouitas vocis terreat, venit à *διάκων διάκονος*, *Didymus*, diluculo, *Dioſcorus*, dirutus, diſſipo, *Dorymenes* cap. 4. Mach. 2. in Græcis codicibus, *Dorotheus*, *&* *Dorothea* ſi tamen in Scripturâ, *Doſitheus* Eſtheris 11. cuius malè penultimam per diphthongum ſcribit Tirinus.

At verò eam producunt.

DALMANVTHA, *Daria*, *Darius*, declino, decorus & obliqui nominis Decor (qui enim formantur à decus penultimâ correptâ, Poëtis ſunt relinquendi) delibutus, delubrum, *Derbæus*, quod malè ſcribitur Derbeus, deprauo, deſpero, diadema, *Dieni*, dilato, *Dimona* Ioſ 15. dioryx, (quæ vox Eccleſiaſt. 24. aquæductum ſeu canalem ſignificat, nec, vt vulgò ſibi perſuadent indocti, nomen eſt proprium.)

E inchoata

Penultimam corripiunt.

ECBATANA Iudith 1. educo educas primæ, eleemoſyna, *Eleutherus* fluuius 1. Mach. 11. & 12. elicit, elucido, elatæ palmarum Canticorum cap. 5. v. 11. (vox enim Græca eſt, non Latina, vt vulgò plerique omnes cenſent, peſſiméque pronuntiant) *Elymas* Magus in Actis, *Epænetus* ad Romanos cap. 17. v. 5. *Epaphras*, *Epheſus*, *Epheſius*, *Epiſcopus*, epiſtola, erudi & erudit, eſurit, euidens, *Eupator* cum cremento, *Eupolemus* in libris Mach. Euroaquilo in Actis, in Græco eſt Εὐροκλύδων, *Eutychus* in eodem libro, *Euergetes* Ptolomæi cognomen, exanimis, excerebro, excubitor, exedra, exentero, exhilaro, exilis ab exilio, expedit, exporrigo, exprobro, extermino. De Ephrata vt volueris, plures vulgò producunt, quibus vix aſſentior, cùm Artaxata, aliáque ſimilis formæ vrbium locorúmque nomina breuientur.

Eam autem producunt.

EBRONA Numer. 33. *Egeus* ſeu *Egæus* in libro Eſther, *Eleale* primæ declinationis, ne quis erret, Græcè Ελεάλη Num. 31. 37. & alibi, *Eliſa* Ezech. 27. *Eliſeus* ſeu *Eliſſæus*, *Elymais* 2. Mach. 6. *Emona* Ioſue 18. *Epaphroditus*, *Epicurei*, eremus, *Eſdrelon* Iudith 1. & 2. etheca id eſt porticus Ezechielis 41. v. 16. euagino, *Eubulus*, *Eunice*, eunuchus, explano, extremus, extrico in libro Tobiæ, *Ezricam*.

F, G, H, Inchoata

Penultimam corripiunt.

FIGVLVS, forsitan, fortuitò, vt vulgò, fumigo, *Galatæ*, *Galatia*, galbanum vel galbanus lacryma fruticis Syriacæ, *Genesar*, *Genesareth*, gratuitus, *Haceldama*, haliæetus aquilæ species, hæresis, Hæreticus, hebdomada tum accusatiui tum nominatiui casus, hebenus & hebeninus, hedera, *Heliopolis*, *Hellada* nominatiui casus & accusatiui. *Hercules*, *Hermogenes*, *Hermoniim*, *Hesebon*, *Hierapolis*, *Hieronymus*, huiuscemodi, humerus, hyacinthinus, hypocrita, hypocrisis, *Hyrtacus*.

Producunt verò eamdem.

FERIMVR à ferior, figura, figuro, formido nomen & verbum, *Gabelus*, *Gaderoth*, *Gazera*, Mach. 1. cap. 2. *Galaaditis*, *Gadareni*, *Gadera* vel *Gedera* Iosue 15. *Geraseni*, *Gergesæi*, *Gerreni*, *Gedrone* seu Cedrone vrbs, Giganteus, *Gortyna*, *Heliodorus*, *Hesmona*, *Herodes*, homicida, *Hyrcanus*, hyssopus.

Ab I inchoata

Penultimam corripiunt.

IABNIA vrbs 2. Paralip. 26. quæ in Græco tantùm dicitur Iabner, *Iasonis*, *Iasonem*, aliique obliqui nominis *Iason*, in Libris Machabæorum, sic enim vulgò etiam doctissimi (quamuis plusquam

plusquam decies, vt obseruauimus in LXX. Sixtianis crementum illud per omega scribatur) ibices seu ruricapræ ab ibex, non ab ibix, idolothytum vt re meliùs perpensâ censemus modò, *Ierusalem & Hierosolyma*, illico, immolo, impero, impiger, impropero, impudens, inclytus, incolumis, indecens, indigens, integer, introduc, quidquid dicant cum Tirino viri quidam eruditi, sed in hisce minutiis pertractandis parum exercitati, institæ seu fasciæ sepulcrales, Ioannis I. & institor mercator, irritus, iubilus, iuniperus & ixion Deuteronomij 14. quodquid sit ignoratur, neque enim in LXX. Interpretum codicibus quidquam huic voci respondet.

At producunt penultimam.

IASON, *Iairus*, *Iamnita* quod certum est, sed etiam *Iamnia* vrbs saltem in libris Machabæorum non semel, & apud Eusebium de locis Hebraicis, scribitur enim per diphthongum, (quamuis Iosephus, profaníque scriptores penultimam per nudum iota scribant, & vulgò penultimam breuiet) iampridem, ibidem, iota, idolum sæpe, idololatria, & idolium primæ ad Corinthios 8. ieiuno, *Ierusa*, ignoro, illotus, immanis, immitis, immunis, impolitus, importunus, imprudens, impunitus, inanis infamis, infinitus, infrunitus, (id est *inexplebilis*, quod respondet Græco ἄπληστος, vel vt alij *stolidus*, *hebes*, à verbo obsoleto *frunisco* id est *fruor*) inquieto, insanus, insanis ab insanio, inuestigo, inuolucrum, inuitus, inuito, *Ioppita*, *Iordanes*;

Iosephus, iota, irrito seu irito ab irâ, *Iscariothes*, iubileus.

L inchoata

Penultimam corripiunt.

LACRYMA, *Lampsacus* 1. Mach. laganum, *Lasthenes*, lateres à nomine later, latomus, *Lazarus*, lecythus 3. Regum, legitimus, *Libanus* mons & thus, lithostrotos quia vox merè Græca est, & characteribus Græcis scribenda vt eleison, ischyros, apollyon, &c. locuples, lugubris, *Lysimachus*.

Eam producunt.

LACVNA, Laodicia Apocal. 1. & 3. lebetes à lebes, legisperitus, luterem à nominatiuo luter, vt etiam laterem, lateres, latere, & similia à verbo lateo; necnon lithostrotus, modò Latinam illi terminationem adiunxeris.

M inchoata

Penultimam corripiunt.

MACEDO etiam in cremento, machinor, *Magdalum* in versione vulgatâ Exodi 14. & Ierem. 44. & 46. in Græco tamen est Μάγδωλος per o magnum, maledic, mancipo, mandragora, maranatha cùm copulatè pronuntiatur, maria pluralis numeri à mare, matertera, *Melita* in Actis, meretrix, misericors, misereor, mitigo, *Mnesteus* si tamen vox trisyllaba, *Mosera* vel *Moceso*, *Moyses*, mygale.

Producunt verò eamdem.

MACEDA Iosue 15. & *Macedam*, *Machelo͏th* vel *Maseroth* Num. 33. magia, magnatus vox Scripturæ, *Mallota* 2. Machab. 2. num. 30. Mammonas quâ in voce turpiter errant multi, manduco, *Maresa* 2 Paral. 14. *Medemena* Iosue 10. Græcè Μαδμῆνα, apud Eusebium Μηδεβηνά, Medena 1. Esdræ 6. margarita & margaritum, maritus, matricida, mausoleum in lib. 1. Mach. *Melchiram*, melotæ ad Hebræos 9. μηλωταί pelles ouiuæ, Melita si Aratorem velis imitari. *Melothi* ex Tirino, silent enim Græca, *Menelaus*, *Miletus* Act. 20. & 2. ad Timoth. 4. minutus, *Mithrydates*, *Mitylene* Actorum 20 mœchia in Ecclesiastico, id est adulterium, myrica vt iam monuimus in Amussi.

N & O inchoata

Penultimam corripiunt,

NAVIGO, *Neapolis* Act. 16. neophytus, *Nicopolis* Actorum 20. *Niniue* licèt Græcè apud Ionam aliósque penultima scribatur per diphthongum, nycticorax, cuius quoque crementum corripitur. Obliti sunt oculi eorum Isaiæ 44. v. 18. ab oblino, obstetrix, obtempero, occubitus, occupo, onager, *Onesimus*, *Onesiphorus*, onocrotalus, oppidò, oppidum, ophiomachus, organum, orphanus, orygem ab oryx, *Osee* τῷ quidem vulgò in Græco tamen habetur Ωσηέ.

Sed protrahunt penultimam.

NANEA seu potiùs *Nanæa* Diana vel Venus, 2. Machabæor. cap. 1. nauclerus, *Nephthoa*, nequaquam, *Nicanor*, *Nicodemus*, *Nicolaus*, nimirum, *Noema* ita vulgò & *Noëmi*, licèt in Græcis codicibus Geneseos & libri Ruth penultima per epsilon dumtaxat scribatur, nullius. Obedit, ab obedio seu obaudio, quâ in voce sæpe falluntur imperiti, obesus, obliquus, oblitus ab obliuiscor, obscurus, obscuro, obstetrices, obturo, octauus, oliua, oleatus, oliuetum, omnino, opacus, oportunus, orditus ab ordior, *Oriona* saltem in soluta oratione, ortygometra.

P & Q inchoata.

Corripiunt penultimam.

PALATHÆ, *Palmyra* vrbs, palpebræ, *Patara*, parabola, paralyticus, paralysis, *Parmenas*, particeps, parturis, *Patrobas*, *Patroclus*, peiero, pelagus, penetro, *Pentapolis* Genes. 19. peregrè, perforo, *Pergamus*, perperam, *Persepolis* 2 Machab. 9 pessimo, pestilens, pharetra, *Pheleti*, phiala, *Philologus*, Philosophus, platanus, pœnitet, pollicens, polymitus, præuaricor, *Presbyteri*, primogenitus, proceres, *Prochorus*, propero, Proselyti, proximo, ptisana tùm Prou. cap. 27. *si contuderis stultum sicut ptisanas*, tum in libro Iudicum, *Ptolemaida*, puerpera, purpura, *Putiphar* seu Πετεφρής Genesis 41. & 46. Quadrupes cum cremento.

At eamdem producunt.

PÆDAGOGVS, paliurus, papyrus, *Paracletus* ſeu *Paraclitus* dixeris παράκλητος: (nemo quippe hoc tempore per ypſilon ſcribendum putat, & qui per iota ſcribunt & à παρακαλέω deriuare contendunt, à veterum librorum fide & SS. Patrum interpretationibus omninò recedunt, ſéque ſolos ſuæ ſententiæ auctores & approbatores habent) paradiſus & paraſceue, ſiquidem in eius vocis penultima diphthongum non omnes agnoſcunt, parietina, parricida, peregrinor, peripſema, perizoma, perſeuero, *Phiahiroth* ex Tirino, *Philadelphia* cap. 1. & 3 Apocal. *Philetus*, *Phœnice* regio & *Phœnices* populi, *Pilatus*, platea, poderis ſeu poderes talaris Pontificum veſtis, poſticum, præſagus, præſepe, *Priapus*, problema, procerus, *Propheta*, vel *Prophetes*, maſculinum, *Prophetis* vel Propheti ſſa fœmininum, propheto & prophetia, *Pygmæi*, Ezechielis 27, non à cubitali ſtaturâ, nec ab enormi ac Giganteâ proceritate, ſed à luctâ quaſi bellatores & generoſi ſic dicti. Quadrigæ, querela & quamobrem, ne tirones fingant in penultima liqueſcentiam, quæ malè intellecta, quammultos hactenus decepit. Omiſſum *Phatures* Ieremiæ 44. Ezech. 29. Græcè φαθωρὴ vel παθούρης.



R inchoata

Penultimam corripiunt.

REBLATA, recupero, reliquus, reprobus, reueriti, Rhinoceros, cuius tamen crementum producitur, *Rhodocus* Ροδοκὸς, licèt quidam producant, & rumino.

At producunt.

RABBONI in Græco est Ραββουνί: racemus, radices, radico, recensitus, recuso, résina (quam vocem seorsum ab Amussi proponimus, quod probè nouerimus doctos alioquin viros Calepini & Thes. L. L. inani decreto, ac deprauato Iuuenalis versu in Satyra octauâ deceptos penultimam adeóque & primam ipsam contra fas iúsque omne breuiandam asserere,) Rhinocerotis, *Rhinocolura* vel *Rhinocorura*, runcina frabile instrumentum Isaiæ cap. 44. Iis adderem rapina, repentinus, rubrica, & similia, nisi scirem hæc aliáque ex octauâ & nonâ Amussis nostræ Regulis omnibus sat esse perspecta.

S inchoata

Penultimam corripiunt.

SABBATVM, saccinus à sacco Zachariæ 12. *Samothracia* Actorum 16. sardonix, sardius, sardinis, Sardonycus, Satanas ita vulgo omnes (quamquam nonnulli haud improbabiliter attollendam penultimam existiment) satrapa, scini-

phes meliùs ciniphes, ſeparo, ſepeli à ſepelio, ſemita, *ſephora*, vt vulgò omnes (licèt Græcè ſcribatur per omega ſeu cum obſtetricem Exodi cap. 1. ſeu cum capite 5. Vxorem Moſis ſignificat) ſeruitus, ſibilus, ſiccine, ſicera, *Sichima*, ſiliqua, *Siloë* ſeu *Siloa* fons vel natatoria Hieroſolymis, ſic enim paſſim ab omnibus corripitur (quamuis Ioannis cap. 8. apud Nonnum in Paraphraſi, alióſque etiam Latinos Poetas producatur, & per omega ſcribatur) ſimila, *Siſara*, ſoboles, *Sodoma*, ſollicitus, ſonitus, *Sopater* vel *Soſipater*, *Soſtratus*, *Stephanas*, *Stephanus*, ſtibinus id eſt fuco ſimilis ſeu fucatus, verſicolor, ſtomachus, ſtoracem vel ſtyracem, ſubitò, *Syntyche*.

Producunt verò eandem.

SABACHTANI, id eſt dereliquiſti me, ſic enim omnes attollunt penultimam etiam ipſo conſentiente Tirino, ſaccelli, vt obiter id moneam, legendum Michææ 6. non ſacelli, ſagena & ſagina, ſalina & ſaliua, ſalitus à ſalio quartæ coniugationis, *Salome* (ſed non rex *Salomon*, licet in LXX. Sixti Pariſiis excuſis ſemper Σαλωμὼν ſcribatur,) *Samaria*, *Samaritanus*, ſambuca, ſanguiſuga, ſapphirus (ſed non deriuatum ſapphirinus) Sarabala Chaldæorum bracæ ſeu femoralia, vt habes apud Tirinum alióſque, ſecuris, ſecurus, *Seleucia*, *Salmone*, promontorium Cretæ Actorum 27. v. 7 *Sarona*, Actorum 9 *Sechrona* Ioſue 15. *Seboim* Σεβωεὶμ Deuter 29 & 1. Regum 13 *Selmona* vel *Salmona*, Numer 33. *Sephela* 1. Machab. 12. v. 38. *Sidonem* & *Salmonem*

Act. 27. sinapis, Sirenes, *Spartiatæ*, spiculatore legendum Marci 6 non speculatore, statera, quemadmodum & obliqui nominis stater, sublimis, subrufus, suffoco, sycomorus (qui enim producunt, ad Græcorum noui Testamenti codicum scripturam & SS. Patrum explicationem propiùs accedunt. LXX. verò in libris Regum, Paralipomenon & Amos vtuntur voce συκάμινος) Synagoga, *Syracusa*, Actorum 28. quibus adde *Socchotra* & *Sotheba* in libro Iosue At de Speculatore cum secundâ vocali scripto contra vulgarem etiam doctorum opinionem, adi Glossam Meursij.

T inchoata

Penultimam corripiunt.

TABEFAC, *Tabitha*, tegimen, temerè, tenebræ, telonium (sæpius enim apud Græcos, & in Euangelio semper scribitur per iota simplex) thalamus, *Theophilus*, theraphim, thyina ligna id est odorata libro 3. Regum & Apocalypseos 20. tibicines, torcular vt cum Gauanto non pauci sed eruditiores censent hoc tempore, (verumtamen vt monuimus in Appendice res cuique arbitraria esto) totidem, tragelaphus, transfreto, transmigro, *Tripolis* 2. Mac. 14. *Trogyllium Troglodytæ* vt docebit te pluribus Elenchus noster, *Trophimus*, *Tychicus*, tympanum, typhonicus. *Theodas* Act. 5. in Græco quippe codice & apud Iosephum Θευδᾶς: Errauit ergo hîc quoque Tirinus.

At

At eam producunt.

TEXTRINVM opus Tobiæ 3. cap. (non item textile) *Tharſaas* ſeu Tharſeas ſcribas 2. Mach. cap. 3. Grecè enim Θερσαΐν, theatrum, *Theſſalonica*, *Thyatira* Apoc 3. thymiama, thoracem à thorax, tiara, transfiguro, tribunal, *Tribunus*, tributum, trieres ſeu triremes, trituro, *Tryphoſa*, & *Tubianai* 2. Machab. 12. verſ. 17.

V X Z inchoata

Corripiunt penultimam.

VAGAO cubicularius Holofernis (quamuis enim in Græco ſcribatur Βαγώας, & ab Ouidio penultima producatur, tranſpoſitio tamen aut mutatio vocalis quantitatem ſæpiſſime immutat) validè, ventilo, veretrum, quia ſi alicunde venit, ſanè à ſupino veritum, vernaculus, victima, victimo, violo, vipera, vitupero, vlulo, vnigenitus, vociferor, vpupa, vterus, vtinam. *Xanthicus* menſis quidam Macedonum ſeu Græcorum. Zelotypus, Zelotypia (mendosè enim Tirinus in hoc nomine, ſecutus Italos Germanóſque Typographos, vt in pluribus aliis penultimam acuit, vt docebit te fuſiùs Amuſſis regulâ 16. quam conſule) *Zephrona* quoque adderem ex Num. 34. v. 9. niſi mendi ſuſpectus videretur locus ille.

At producunt penultimam.


VECTIGAL, verſutus, virata mulier, id eſt

fortis, *Zabulon* vnus è duodecim Patriarchæ liberis, quamquam exteri quidam refragentur homines, ſic Zelotes. Reliqua dabit *Amuſſis*: vt quid enim ſine fructu iſta repetam & chartas impleam?

Poteram quippe plura inſerere vocabula, Auctioréſque *Indices* noſtros longiùs producere: ſed cui bono? cùm vel in *Amuſſi quam præmiſimus, ſeu Diatriba vndecima* nominatim recenſeantur; vel ex *viginti* quas protulimus, *Regulis generalibus* facillimè à quouis etiam imperitiſſimo dignoſci queant: *Atque vtinam queratur nemo quædam à nobis admixta, quæ prætermitti potuiſſent: ſed omnibus facere ſatis, vt mihi optatiſſimum, ità difficillimum eſſe iudico.*

Supereſt vox vnica, quod ſciam, ſcrupuloſiùs excutienda, quæ doctiſſimorum S. Scripturæ interpretum exercuit ingenia. Ea verò legitur in capite 4. Eccleſiaſtici verſu 9. *& non acidè feras in anima tua*: καὶ μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῷ κρίνειν σε. Placet verò audire ſuper ea re Oliuerium Bonartium ſic commentantem. *Aliqui cum Ianſenio & Emmanuele Sa accipiunt* τὸ acidè, *pro tædiosè, tardè, cum triſtitia, vt deducatur ab acedia,* ἀκηδῶς, ἀκηδία, *ſicque penultima in* acidè *producatur. Sed meliùs cum Lirano & aliis flectitur ab* aceo *&* acor, *vnde fit* acetum, *vt ſignificet moleſtè, ægrè, & ſit metaphora* ab aceto, fructibus immaturis, vel vuis acerbis, *quæ dentibus ſtuporem & moleſtiam faciunt.* Vnde ſenſus eſt, *ne grauatè feras laborem quem ſuſtines, dum pauperes conaris eripere ab oppreſſione & tyrannide.* Hæc ille breuiter

iuxtà atque eruditè, quæ pluribus prosequitur Cornelius Alapide in eundem locum, vbi inter cætera rectè aduertit interpretem nostrum *acidè* vertentem, barbarum non esse, sed egregiè Latinum, cùm Plautus *homines acerbos, molestos, iracundos, dicaces, mordaces* vocet acidissimos, *&c.* quæ piget exscribere: tu, si delectent, ipsum locum consule, atque inde mecum mirare quantas turbas excitet etiam inter eruditissimos viros, in hac doctrinæ clarissima luce, vnius voculæ quantitas, quámque de re literaria mereantur eximiè, qui ad minuta ista accuratiùs enucleanda sese demittere non veriti, tædium omne molestiámque in rudiorum gratiam deuorare non detrectant.



EMENDATÆ PRONVNTIATIONIS
Manuductio breuis.

IN Pronuntiatione attenditur tantùm penultima, quæ si longa sit attollitur, vt *Dominórum, amámus*: si breuis sit, deprimitur, vt *Dóminos, légimus*, quarum dictionum antepenultima attolli debet.

Penultima longa est, cùm vocalem sequuntur duæ consonantes, vel litera duplex, exempli gratiâ, *amántur, Arphàxad, Eliézer.*

Omnis diphthongus penultimam extendit, vt *Camœna*, *Harpyia*.

Quando penultimam vocalem ſequitur muta aliquâ cum liquidis l vel r, diligenter videndum, num vocalis illa penultima ſit naturâ breuis, an potiùs longa. Nam ſi ſit naturâ longa, attollenda eſt, vt patet in *arátrum*, *ſimulácrum*, *ſalúbris*: ſi verò naturâ breuis ſit, corripienda erit inter pronuntiandum, vt *ténebræ*, *vólucres*, *fúnebris*, *lúgubre*. Illud porro diſces vel vſu ipſo & exemplis Poëtarum, vel certè, quod facilius erit tutiúſque, frequenti *Elenchi Proſodici*, aut noſtrorum *Eruditæ Pronuntiationis Catholicorum Indicum* iam ab anno 1645. in hac vrbe publicatorum, atque hoc 1660. recuſorum, aſſiduâ diligentíque lectione.

Vocalis ante vocalem in penultima breuiatur in nominibus Latinis, vt *audio*, *impius*, *fidei*, &c.

Excipe Pompei, Vultei, Aulai, Aquai, cum ſimilibus, quibus adde Genitiuos in ius, *illius*, *alius*, *vnius*, &c. ſi vnum excipias, *alterius*, atque obliquos quintæ in ei cùm ante e ſcribitur i, vt *diei*, *ſpeciei*. Addi quoque poteſt verbum *fio* cùm non ſequitur r, vt *confiet*, *ſatisfiet*, &c.

Quod ad Græca nomina ſpectat, maximè propria, licèt ſæpius vocalem ante vocalem corripiant, quia tamen non rarò eandem producunt, vt patet in *Darius*, *Baſilius*, *Æneas*, *Seleucia*, *Noſocomium* & ſimilibus, conſulendus erit Elenchus noſter, aut modò hîc recuſi Eruditæ Pronuntiationis Catholici Indices: nam alij libri vel ſilent omnino, vel mendis ſcatent, vt planum aliàs faciam.

Composita maximè verborum pendent à simplicibus, ex quibus constant: vnde securius erit ac compendiosius rimari quantitatem simplicis, quàm ipsorum compositorum, quorum sæpissime exempla desiderantur in Poëtis Classicis: sic *redamo*, *relego*, *refero* penultimam corripiunt, quia à *fero*, *amo*, *&* *lego legis* deducuntur: sic *præcauit*, *præuenit*, *redemit* in præterito penultimam producunt, quia à præteritis longis *caui*, *veni*, *emi* profecta sunt, licèt prima præsentis *caueo*, *venio*, *emo* breuis sit, quod maximè notandum.

Econtrà obseruent, quæso, tyrones èx compositis nonnunquam innotescere quantitatem simplicium: vt si dubia sit mihi quantitas penultimæ verborum *ludo*, *rodo*, *duco*, ex pronuntiatione compositorum *colludo*, *corrodo*, *conduco* illico elucescet.

Deriuata sequuntur naturam primitiui: *verùm hæc regula vt ad condendos versus vtilissima est, ita ad pronuntiandum attendenda præ cæteris, quæ sequitur.*

Deriuatorum terminationes frequentiores obseruandæ sunt, earúmque discenda sedulò longitudo vel breuitas, quia cognitâ vnius vocis quantitate, aliæ omnes, *quæ eandem enunciandi & deriuandi rationem habent*, vnâ eadémque operâ cognoscuntur: sic quia *calidus* penultimam corripit, idem dicendum de *frigidus*, *humidus*, *feruidus*, &c. quia *vinosus* penultimam producit, idem & de *callosus*, *ebriosus*, *mammosus*, &c. dicendum erit.

Atque vt compendio tyrones hîc habeant,

quæ fusiùs alibi discussa sunt.

Penultimam producunt semper, aut ferè semper terminationes istæ, *Abra*, *Abrum*, *Acrum*, *Amen*, *Atòr*, *Atrum*, *Atum*, *Aca*, *Ago*, *Ages*, *Alis* & *Ale*, *Aris* & *Are*, *Arus*, *Ata*, *Ates* & *Atis*, *Atim*, *Edo*, *Ela*, *Enus*, *Ena*, *Enum*, *Enor*, *Etus*, *Eta*, *Etùm*, *Ido* & *Igo*, *Iga*, *Ile*, *Imen*, *Isus*, *Ita*, *Ites* & *Itis*, *Iuus*, *Odes*, *Omen*, *Oma*, *Osus*, *Osis*, *Ota*, *Otes*, *Otis*, *Vca*, *Vcum*, *Vdo*, *Vgo*, *Vlis*, *Vmen*, *Vnus*, *Vna*, *Vrus*, *Vra*, *Vsus*, *Vsa*, *Vtus*. Dixi ferè semper, nam quædam ab iis excipiuntur, vt videre quiuis potest parte vndecima siue penultimâ Prosodiæ Despauterianæ à nobis auctæ, illustratæ, emendatæ, atque in partes duodecim distributæ, sæpiúsque iam editæ.

Penultimam corripiunt *Acus*, *Ades*, *Etas*, *Idus*, *Ilo*, *Imus*, *Ecus*, *Iter & Itus in aduerbiis*, *Itas*, *Ito*, *One*, *Osyne & Osynon*, *Vba*, *Vla*, *Vlus*, *Vlum* & *Vlo*, *Vplex* & *Vplus*, quibus adde terminationes sequentes *Alus*, *Ene*, *Ica*, *Ico*, *Icus*, *Ides*, *Ilis*, *Inus*, *Ina*, *Inum*, quæ multas exceptiones patiuntur, vt obseruauimus in laudata iam parte vndécima Prosodiæ nostræ.

Præteritum in Iuï penultimam producit, vt *petiui*, *quæsiui*, *audiui*, &c.

Cùm prima syllaba geminatur, præteritum primam & secundam corripit, nisi obstet positio, vt *cecidi à cado*, *pepigi*, *pepuli*, *tutudi*, *cecini*, &c.

Excipiuntur duo, *cecídi à cædo*, *& pepédi.*

Omne præteritum dissyllabum primam longam habet, *legi*, *vidi*, *moui*, *emi*, *veni*, & infinita alia, quæ notanda sunt propter composita;

vt enim iam antè monui, aliter pronuntianda sunt *prælegit* & *prævenit* præsentis, aliter *prælégit* & *prævênit* præteriti temporis.

Excipiuntur à regula, sex præterita, scilicet *bibi*, *dedi*, *fidi*, *scidi*, *steti*, & *tuli*: sic composita, *circumdedit*, *diffidit*, *rescidit*, *adstitit*, *retulit*, &c.

Omne supinum dissyllabum, & quæ inde participia primam producunt, vt *visum*, *lusum*, *notum*, *motum*, &c.

Excipe *quitum*, *ratum*, *satum*, *statum*, cum sex aliis quæ meliùs elucescent in compositis, vt *circumdatus* à *do*, *percitus* à *cieo*, *pertransitus* ab *eo*, *illitus* à *lino*, *dirutus* à *ruo*, *insitus* à *sero*, *desitus* à *sino*, & similia.

Nota 1. *ambitus* participium penultimam producere.

2. *Staturus*, *constaturus* producere a.

3. *Excitus*, *concitus* etiam penultimam aliquando producere, cùm scilicet à verbis quartæ *excio* & *concio* descendunt.

Supina trium, quatuor, vel plurium syllabarum in *tum* exeuntia, quorum præterita in *vi* vnam syllabam formantur, penultimam producunt, vt *amotum*, *defletum*, *petitum*, *solutum*, *auditum*, *expeditum*, &c.

Quæ verò præteritum faciunt in *ui* diuisas syllabas, vel in *idi*, penultimam corripiunt, vt *cubitum*, *monitum*, *genitum*, *positum*, *venditum*, &c.

Atque his generalibus Regulis præmunitus adolescens accedat oportet ad crementa nominum atque verborum, quorum regulas breues accuratásque exhibuimus Partibus secundâ & tertiâ Prosodiæ nostræ.

Particulæ Encliticæ *que*, *ne*, *ve*, præcedentem ſyllabam acuunt. vt *limináque*, *ipsáque*, *moréne maiorum*, &c. ſed hanc ſimiléſve obſeruationes magni in prolatione momenti fuſiùs explicatas inueniet ſtudioſus adoleſcens inter Canones rectæ Pronuntiationis, quos noſtris hiſce in S. Scripturam Indicibus præfiximus.



LEGENDI AVCTORIS Præparatio.

IIs perſpectis probéque cognitis, cùm accinget ſe ad parandam alicuius Latini libri lectionem adoleſcens hac, quam ſubminiſtramus, induſtriâ, magnum faciet operæ laboriſque compendium: nam vt de crementis nihil iterem, res enim ſat nota eſt, ſi inter legendum occurrat vocabulum aliquod, cuius dubia ſit aut ignota quantitas.

Primò videat ſitne nomen proprium, necne. Nam ſi *proprium ſit*, illius quantitatem inueniet in ſerie alphabetica Catholicorum Indicum à nobis editorum, vel certè eam in Partibus vndecima vel duodecima Proſodiæ noſtræ haud difficulter inueſtigabit. Eſto, occurrerint iſta propria nomina *Dædalus*, *Euryclides*, *Alemani*, *Alexandria*, *Apamea*, *Archagathus*, *Caſſiodorus*, *Diogenes*, vel ſimilia, quorum quantitatem ignorare nemo poterit, qui aut breuem noſtrum Elenchum, ſiue Eruditæ Pronuntiationis Catholicos Indices

denuò

deriuò recusos, auctos, emendatos euoluere, aut dictas Prosodiæ partes consulere voluerit.

Secundò, *si vocabulum proprium non sit*, obseruet sitne simplex, an compositum: si enim COMPOSITVM sit, quærenda erit simplicis quantitas: vt si inciderit in verba *imprudens*, *inimicus*, *illudo*, *collido*, *irrideo*, *profero*, &c. adeat Elenchum vel Indices, & verba, *prudens, amicus, ludo, ledo, rideo, ac fero*, aut similia rimetur: quibus cognitis, omnium quoque ex eadem voce compositorum quantitas elucescet.

Quòd si composita vox illa sit Latino-Græca, consulat, quæso, Partem duodecimam nostræ Prosodiæ, vbi ad proprias origines reuocantur, vt patet in *podagra, dibaphus, bigamus, chirographum, protasis, monoceros, polymitus*, & sexcentis aliis.

Postremò denique *si simplex sit dictio*, animaduertendum diligenter, num vox primitiua sit, necne: nam *si deriuata sit*, cognoscetur eius longitudo aut breuitas:

Vel 1. ex Regulis generalibus, vt pote in istis; *Æneades, Æacides, salutaris, Spartiata, Sybarita, Nazarenus, diecula, credulus, corculum, pietas, bonitas, altitudo, pallidus, adamantinus, anserinus, fictilis, puerilis, fortiter, intrinsecus*, &c.

Vel 2. ex crementis nominum: sic *exulo, nomino, ordino, pondero, indico* penultimam corripiunt, quia nomina *exul, nomen, ordo, pondus, index* crementum breuiant: contrà verò *coloro, locupleto, exhæredo, eradico, saluto, custodit* penultimam producunt, quia crementa nominum *color, locuples, hæres, radix, salus & custos* producuntur.

Vel denique tertiò ex Elencho ipſo ſiue Catholicis Indicibus, *vbi ſimplicium ac primitiuorum ferè omnium, cum pluribus etiam deriuatis compoſitíſque, meminimus*, eorum longitudo vel breuitas cuilibet manifeſta erit.



ANALECTA PROSODICA,

CVM DISSERTATIONIBVS Philologicis de aliquot vocibus controuersis,

Selecta ex Fragmentis Elenchi Prosodici Latino-Græci.

QVID nostro Elencho Prosodico acciderit, Amice Lector, malim alienis potiùs verbis ipse discas, quàm meis. R.P. Ludouicus Caualli, ex Seraphico S. Francisci Ordine, vir eruditissimus, præfationi, quam Ianuæ Musarum maximo humaniorum literarum emolumento nuper reseratæ præmisit, hæc de Prosodicis nostris lucubrationibus pro sua erga me humanissima comitate inseruit. *Inter hos tamen omnes R.P. Philippus Labbe omnium diligentißimè & accuratissimè laborauit, errores varios Lexicographorum atque Prosodiographorum detexit, & correxit, tum in Catholicis Indicibus, & in Amussi, maximè verò in Elencho*

integro, quem parauerat: sed heu! Chalcographi, vel potiùs cacographi, opus iam inchoatum singulis fermè lineis corruperunt, & magnam partem MS. perdiderunt: quapropter ipse sublimiora aggressus, reliquam partem, quæ ruinam euaserat, mihi liberè pro sua charitate accommodauit. Relictis ergo aliis, ad huius doctissimi viri opera velut ad Lydium lapidem lucubrationes meas iam paratas contuli & probaui, quædam à me prætermissa ab eo accepi, &c.

Ex eo itaque opere integro, cùm mihi, veluti ex luctuosissimo naufragio vix modò media pars cum aliquo auctariolo supersit, visum est nonnulla paucis excerpere, quæ ego prolatis in medium veterum scriptorum crebris auctoritatibus nonnumquam illustraueram, & nostris Eruditæ Pronuntiationis Indicibus denuò recusis subtexere cum aliquot Dissertationibus, quas primæ editioni addideram, vt ex eo specimine lector iudicet, quàm seriò ad has excutiendas minutias animum aliàs appulerim. Hoc verò qualecumque nostrum opusculum cum hisce Analectis acceptum referent lectores emendatæ pronuntiationis studiosi, cùm aliis eruditione præstantibus amicis, tum viro Rerum Ecclesiasticarum peritissimo R. P. Domino *Michaëli Baudryo*, ex Benedictino Ordine *Maleacensis* Ecclesiæ Cathedralis *Magno*, vt vocant, *Priori* meritissimo, mihíque ob summam humanitatem, cæteráſque virtutes colendissimo, qui apud me iteratis precibus sæpius institit, vt in gratiam maximè *Sacerdotum* ac rudiorum *Clericorum*, ex nostris Proso-

dicis opuſculis ſumma quæque capita ſedulò exc̨erperem, ac quantâ fieri poſſet perſpicuitate & ordine explicata in vnum libellum colligerem; quod pro rei non tam dignitate quàm neceſſitate ſumma præſtiterim, necne, tuum eſto, Lector erudite, iudicium.

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltrà.

I. DISSERTATIO.

Abbatia, Abſida, Abſtemius, Academia, Acia, Acies, Acidè, Acratum, Actæon.

ABBATIA ſecundam ſyllabam abſque dubio producit. Quod autem ad penultimam ſpectat, eam quidam attollunt, alij longè meliùs deprimunt. Nec enim audiendi ſunt poſtremi Calepini conſarcinatores, dum eam vocem Græcè per diphthongum ἀϐϐατείαν ſcribendam eſſe pronunciant: vnde enim, amabo, hoc habent in voce, quæ Latij fines numquam exceſſit?

ABSIDA, vide Apſis infrà ſuo loco.

ABSTEMIVS, temetum, temulentus, &c. vide Ger. Io. Voſſium cap. 37.

ACADEMIA ab Academo ſiue Echedemo quodam ſic dicta, penultimam corripit Claudiano in Panegyrico Manlij,

In Latium ſpretis Academia migrat Athenis.

Sidonio, aliiſque recentioribus, ſicque apud noſtrates Gallos inter pronunciandum penultima deprimi ſolet. At olim Romæ, vt magna ſuſpicio

eſt, protrahebatur, quantùm ex ſequentibus Ciceronis eiúſque liberti Laureæ Tullij carminibus colligi poteſt,

Inque Academia vmbrifera, nitidóque Lyceo,
libro 1. de Diuinatione.

Atque Academia celebratam nomine villam,
apud Plinium cap. 2. lib. 31. Nat. Hiſtoriæ.

Λύκειον, Ἀκαδήμειαν, ᾠδεῖον, πύλας·

Iambicus Alexidis Comici, Sotione referente apud Athenæum, qui tamen, ſicut & Pauſanias, ſemper Ἀκαδημίαν ſcribit, cùm Stephanus Byzantius diphthongum ei, penultimæ inſcribat. Videndus quoque Laërtius Diogenes in Platone, vnde explodas eorum argutias, qui ab ἄκος & δῆμος quaſi *medelam publicam* deriuant, vel ἀπὸ τῆς ἀγγῆς τῶν δήμων, quòd eò confluerent, ibíque frequens eſſet *conuentus tribuum & familiarum*: nec denique à *Cadmo*, quaſi Καδμεία ſiue Καδμία, quæ abſtruſior fuit Franciſci Iunij commentatio cap. 1. libelli de Academ. ex quo fragmentum bene longum deſcripſit in originibus linguæ Latinæ Chriſtianus Becmanus.

ACIA quid ſit apud Cornelium Celſum lib. 5. cap. 26. diſputant inter ſe viri conſummatæ in rebus Medicis Grammaticíſque peritiæ. Ego nihil aliud exiſtimo, quàm filum lineum, laneum, ſericum, xylinum, aliúdve quodcumque ῥάμμα acu duci ſolitum, & cum ea traiici à ſutoribus, ſartoribus, phrygionibus, eiuſdémque generis opificibus. Illud docet cùm Titinnij veteris Poëtæ apud Nonium Marcellum auctoritas, titul. Phrygia veſtis;

Prygio fui primò, benéque id opus sciui:
Reliqui acus, aciásque hero atque heræ meæ:
tum ipsa nominis originatio : vt enim in Gallorum vernacula lingua ab *aiguille* deriuatum *aiguillée de fil, de soye, de laine, de coton*, ita etiam ab *acu* Latinis deducta est *acia* in eadem prorsus significatione. Alij ab ἀκέω *suo*, Græcâ voce (vnde ἀκεστής *sutor*, ἀκεστρία *sutria*, & ἄκεια *filum suendo* accommodum, & alia plura) deriuant non solùm Latinum nomen *acus*, quod est suendi instrumentum, vnde postea propter similitudinem prodiit *acicula*, sed etiam nomen *acia*, (quæ vox si ab ἄκεια immediatè descenderet, penultima longa, non secus atque *Alexandria, Antiochia, Satrapia, latria*, &c. pronuntiari deberet) *acies, aciarium, acuo, acutus, acumen*, ac similia: quòd quæ ad suendum aptantur instrumenta vt faciliùs penetrent cuspidem siue acumen, aciémque requirant.

ACIDE aduerbium esse Latinæ originis ab adiectiuo *acidus*, in illo commate capitis 4. libri Ecclesiastici: *Et non acidè feras in anima tua*, docuimus pluribus in erudito sacræ Scripturæ Lectore sub finem Indicis difficiliorum vocum pag. 258. ex sententia Cornelij Alapide, Oliuerij Bonartij, aliorúmque doctissimorum interpretum aduersùs Cornelium Iansenium & Emmanuelem Sa, qui à Græco ἀκηδῶς deducunt, adeóque penultimam attollendam contendunt.

ACRATVM, *melicratum, oxycratum, crama, crater, crasis*, & similia à præterito contracto κέκραμαι deriuata penultimam producunt, vt pluribus probare possem, si res apud doctos in contro-

uersiam veniret. *Acratus* quidam Bacchi socius apud Pausaniam, dubiam mihi habet penultimam. Quid enim si ab ἄκρατον? quid si ab ἀκρατή,? De versu verò Theocriti tantisper ἐπέχομεν, donec digladiantes inter se Grammatici in concordiam redierint. Viderint ergo Medici illi prosodiæ Græcæ haud satis periti, qui oxycratum penultimâ breui passim enunciant, noténtque versum illum Aristophanis in Ranis:

Ἴθι νυῦ ἄκρατον ἐγκάταξον μοὶ πολύν·

& alterum Aristomenis,

Ἀκρατοῦμαι μικρὸν εἶτ' ἥξω πάλιν,

vt omittam Antiphontem, Cantharum, aliósque apud Athenæum libro 1. Eadem est ratio τοῦ κρανίου, cuius prima ideo producitur, quòd, vt arbitror, factum sit per contractionem ex κεράνιον seu καράνιον.

ACTÆON in soluta oratione crementum producere debet. Notanda quippe Suidæ verba in Lexico, Ἀκταίων Ἀκταίωνος ὄνομα κύριον, tum prolato nescio cuius Epigrammatographi pentametro,

Καὶ Ἀκταιονίδων ἐσσὶ μία σκυλάκων,

subiungit: συνέστειλε δὲ τὸ ω διὰ τὸ μέτρον, *corripuit omega propter versum*, quod etiam dicere poterat de Callimacho hymno 5. in Lauacra Palladis:

Παῖδα τὸν ἀβατὰν Ἀκταίονα τυφλὸν ἰδέσθαι:

Ouidius quoque libro 3. Metamorph. eâdem licentiâ vsus est:

Ignari instigant, oculísque Actæona quærunt:

Quamquam in hoc pluribúsque aliis obmutescunt vulgares Grammatici. Consulesis ipsum quoque Pausaniam tum initio ac fine Bœoticorum,

rum,

rum, tum in Phocicis, vbi minimùm decies crementum per omega ſcribitur. Quia verò de crementis in on hîc modò incidit mentio, obſeruandum quoque velim crementum nominis Ægæon in proſa producendum eſſe:

Ægaona ſuis immania terga lacertis.

Ouidius 2. Metamorph.

Diis pelagi, ventíſque, & Cycladas Ægaoni.

Statius. Sic & apud Apollonium libro 1. Argon. aliósque Græcos, Αἰγαίωνος ſemper ſcriptum legas. Viderint ergo eruditi viri quid ſentiendum ſit de iis verſibus Statij ac Claudiani, quos alij duntaxat referunt, cæteris omiſſis,

Vincula & anguſtam centeni Ægaonis vmbam.

4. Thebaidos.

Et centum gemini ſtrictos Ægaonis enſes,

3. de Raptu.

Quid quòd & Chriſtophorus Kirchnerus prolato altero Statij verſu C. Nepotis ſequentem verſum áſteriſco notat, ſeu potiùs obelo configit:

Bacchus liber erat, pudet Ægaonis alumna.

II. DISSERTATIO.

Aer, æripes ſeu aëripes, affatim, Agathoclia, Allophylus, Alopecia, Alopecea, Alimus, Amanus, Amanicæ portæ, Amminex vites, &c.

AER Græcis Latiníſque ſuffragantibus primam producit. Solus apud Græcos Nazian-

zenus corripuit, non tolerandâ, si Henricum Stephanum in Thesauro audimus, licentiâ; quæ tamen facilè posset excusari, si solus, quem profert ex carmine 34. versus occurreret,

Τὸ τρίτον αὖ σκνίπεσιν ἀνήρ, καὶ γαῖα καλύφθη.

Dicerem enim cum apostropho legendum σκνίπεσ'. Sed quid ad hunc ex carmine 15. ipso initio, pag. 91. editionis Morellianæ:

Οἱ δ' λοιγοὶ πτερόεντες, ἀὴρ κλέος, αἷμα παλαιὸν, &c.

Quamquam huic quoque medelam vnius literulæ elisione afferre licebit, si πτερόεντ' legas, non πτερόεντες. Lucretius quoque libro 4. & Sidonius carmine 15. peccarunt, nisi synecphonesis excuset, quæ quibusdam, nominatim Prisciano lib. Grammat. 17. placuit in versu Virgiliano,

Fixerit æripedem ceruam licèt.

æripedem quippe dictam volunt pro *aëripedem*, cùm tamen aliis *æripes* sit χαλκόπους.

AFFATIM penultimam corripit, nec te certatim, datatim, ac similis formæ aduerbia in transuersum agant: sequere Attium, seu Accium, in Prometheo, vel Ciceronem Tusculan. 2. Plautum, Prudentium, alióſque. Vide Aulum Gellium cap. 7. libri VII Noctium Atticarum.

AGATHOCLIA. Vide §. 2. Censuræ Prosodicæ Bartholomæi Gauanti, quam aliàs Catholicis nostris Indicibus subiecimus.

ALLOPHYLVS penultimam producit, quia φυλὴ seu φῦλον *tribus*, *classis*, *natio*, *gens*, *genus*, penultimam habent longam, vt docuimus in Tirocinio Græcæ Poëseos:

Ω θεὶς Δαβίδ, σοὶ δ' ἀλλόφυλοι φρεάρ

Γῆς ἀλλοφύλων, καὶ τῶν χερσύδρων·

S. Gregorius Nazianzenus Iambico 18. pag 204. Malè ergo de imperitis meritus est Smetius, qui prolato vnius Prudentij versu, pessimo veluti veneno remedium illico non apposuit. Quot enim inde decep tos putas? Neque tamen penultimam illam solus corripuit Prudentius, sed cum eo Amœnus in Enchiridio vtriusque Testamenti. S Paulinus natali primo, & alibi quoque, ac demum S. Gregorius Nazianzenus, vt iampridem monui, in Coronide Tirocinij Græcæ Poëseos ante quindecim annos à nobis vulgati. Vide ipsum quoque Despauterium initio & fine paginæ 532. editionis Stephaneæ.

ALOPECIA insula, solam secundam producit:

Μισῶ τὰς δασυκέρκος ἀλώπεκας,

inquit Theocritus Idyllio 5. Quàm imperitè ergo cum suo Prisciano, seu Fannio versu 564 de situ Orbis ex Dionysio Periegeta Smetius, Kirknerus, aliique:

Insula mole granis stans Alopecea lata.

Rectiùs sanè Macer, Honterus, alij in *alopecia* morbo quodam solam secundam produxere.

Vstus alopeciam commisto sanat aceto.

ATQVE vt vnâ veluti fideliâ duos dealbem parietes, idem Fannius seu Priscianus versu 529 penultimam in *alimus* herba, quæ famem sedare dicitur, perperam corripuit:

Gignitur hic alimos, quam si quis mordeat herbam.

Certum quippe est, Græcisque Prosœdiographis exploratum, primam λιμοῦ produci, adeóque

& *aureonis* illius herbæ penultimam, quæ sic apud Græcos appellata creditur, quod eâ admorsâ fames interdiu non sentiatur. Vide paulò pòst Bulima. Sunt qui Halymon vocent aspiratione præfixa, deriuántque à mari, seu salsudine marina, ὅτι φύεται ἐν παραθαλασσίοις, ex Diosc. &c.

AMANICÆ & *Amanides* portæ penultimâ breui: quam producunt *Amanita*, & *Amanus*, mons Ciliciæ: Lucanus libro 3. de bello Pharsalico:

Cappadoces duri populus, nunc cultor Amani.

Mater in aduerso catulis venatur Amano.

Valerius Flaccus in Argonauticis, vbi vides penultimam produci, quæ corripi deberet, si vera esset etymologia, quæ à Stephano & Suidâ affertur, quod ibi Orestes ἀπὸ τῶν ἀνέμων cum sorore τὴν Ἄρτεμιν κομίσας τῆς μανίας λύσιν εὗρεν, nam μανία & cætera ab μανὸν orta primam apud Græcos corripiunt. De *Amineis* vitibus maxima apud doctos controuersia, quam dirimere hîc non est animus: notentur tantùm hi versus:

Solus qui Chium miscet & Ammineum.

Ausonius.

Stant etiam Amminea vites, fortissima vina.

2. Georgicon, vbi alij legunt: *Sunt & Aminea vites*, &c. Scaliger verò, *Sunt & Taminia vites*. Ad ista verba Festi, *Taminia*, vua syluestris generis videtur Verrio dicta, quòd tam rubra sit quàm minium. Hæc ille. At Serenus:

Succus Aminea vitis cum pane medetur.

Addendi quoque Lyrici quidam versus Auli Sereni, quos nonnulli Phalisco tribuunt apud Terentianum;

Quando flagella iugas, ita iuga,
Vitis & vlmus vti ſimul eant;
Nam niſi ſint paribus fruticibus,
Vmbra necat teneras Amineas.

Cæterùm, plura qui volet de Amineis, Aminæis, & Taminiis, conſulat Orthographica Claudij Dauſqueij.

III. DISSERTATIO.

Anathematis vt diuerſæ ſignificationes, ita apud quoſdam diuerſa quoque pronunciandi ratio expenditur.

ANATHEMA, cùm ***donarium*** ſiue ***ornamentum*** ſignificat, penultimam paſſim producit: cùm verò ***execrationem***, ***deteſtationem***, ***exitium capitale***, ***& abominandum caput diiſque inferis deuotum*** ſonat, eandem corripit. Ideóque cenſeo nullum eſſe locum in ſacræ Scripturæ verſione vulgata, etiam Iudith cap. vltimo ſub finem, in quo ***anathema*** penultimâ breui proferri non debeat, vt pluribus argumentis in ſingulari hoc Schediaſmate, quod iam aliàs tibi probatum fuit, reperies.

Græcè ſcribitur ἀνάθεμα & ἀνάθημα: de quibus vocibus conſulendam omnibus eruditis ſuadeo eximiam R. P. Petauij diſſertationem in doctiſſimis exercitationibus ad Iuliani Imperatoris opera poſtremæ editionis. Nos iis quæ iamdudum parata ſeruamus, ad rem noſtram Proſodicam vtemur, paucis capitibus multa ſummatim complexi.

Primò, certum eſt ἀνάθημα ſignificare ornamentum, aut donarium templis conſecratum atque ſuſpenſum. Sic Aurelius Prudentius in Hamartigenia:

Iam patriæ meminiſſe piget, iam myſtica frangunt
Organa, & externi laudant anathemata regni.

id eſt ornamenta, ſecutus principem Poëtarum Homerum, qui Odyſſ. lib 1. μολπὴν καὶ ὀρχηστὺν vocat ἀναθήματα δαιτός. Sic apud Platonem ſecundo de Republica, ἀναθήματα τοῖς θεοῖς ἀνατιθέναι: apud Plutarchum in Romulo, vbi de Ioue Feretrio, apud Thucydidem, Herodotum, Strabonem, alióſque, non modò profanos, ſed & ſacros ſcriptores, πᾶν δ' ἀνάθημα ὃ ἂν ἀναθῇ ἄνθρωπος τῷ κυρίῳ οὐ λυτρώσεται: Leuitici cap. vltimo, vt quidem legitur in Regiis Aldiniſque LXX. καί τινων λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς ἀναθήμασι κεκόσμηται, Lucæ cap. 21. verſu 5.

Secundò, exploratum itidem eſt ἀνάθεμα, qua voce Iudæis quodammodo propriâ (vt multis ſanctus Hieronymus in commentariis ad caput primum epiſtolæ ad Galatas exponit) extrema deteſtatio, exitium capitale, execrandum ac deteſtandum caput, diiſque inferis deuotum ſignificatur, penultimam corripere, vt in Veteris Teſtamenti Tabulis, & apud ſanctum Paulum non ſemel occurrit: vt omittam vſitatam Patribus Græcis damnandi Hæreticos in Conciliis formulam, ἀνάθεμα ἔστω. Hinc ἀναθεματίζω deteſtor, execror, abominor, ditis deuoueo, pro quo apud Latinos vſurpari *anathemo* docet ſanctus Auguſtinus quæſtione 41. in Librum Numeri. *Ana-*

thema, quod deteſtabile & abominabile videatur, vt nihil inde victor in vſus ſuos auferret, ſed totum in pœnam luendam voueret; hoc erat anathemare, quod vulgò dicitur deuotare. Origo autem eſt huius verbi in Græca lingua ab his rebus quæ vota & perſoluta, hoc eſt promiſſa & reddita ſurſum ponebantur in templis ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι, *hoc eſt ſurſum ponere, vel figendo, vel ſuſpendendo.*

Tertiùm, haud ita plerisque peruulgatum eſt, ἀνάθεμα ſæpe ſumi ἀντὶ τοῦ ἀνάθημα, & ſignificare, vt ait ſanctus Iuſtinus Martyr quæſt. 131. ad Orthodoxos, ἢ τὸ ἀφωρισμένον θεῷ καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μὴ λαμβανόμενον, ἢ τὸ ἀπηλλοτριωμένον θεοῦ διὰ κακίαν: cui conſentit Suidas, ἀνάθεμα καὶ τὸ ἀνατιθέμενον τῷ θεῷ καὶ τὸ εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον. Sicque in vtroque ſenſu, ſacræ Paginæ vocem illam vſurpant, cui in Hebræa Dialecto reſpondet dictio *Cherem*, quæ longè ſæpius per ἀνάθεμα quàm per ἀνάθημα redditur. Numerorum cap. 29. καὶ ἐπεκάλεσε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου ἀνάθεμα. Ioſue cap. 2. de ſubuerſione Hierichuntis, καὶ ἔσται ἡ πόλις ἀνάθεμα αὕτη καὶ πάντα. & capite ſequenti de Achane ſacrilego, ἀνάθεμά ἐστιν ἐν ὑμῖν. Leuitici cap. 27. & vltimo in LXX. Interpretum Romanâ ac Plantinianâ ſeu Regiâ editione, πᾶν δ' ἀνάθεμα ὃ ἂν ἀναθῇ ἄνθρωπος τῷ κυρίῳ & paulò pòſt, πᾶν ἀνάθεμα ἅγιον ἁγίων ἔσται τῷ κυρίῳ, &c. ad quæ ſic commentatur accuratus vir Nobilius Flaminius: *Alij retinent verbum Græcum anathema. Docet autem Iſychius differre anathema à ſanctificatione. Nam quæ ſanctificata ſunt, redimi poſſunt: quæ autem anathemati ſubiecta, non poſſunt. Sunt tamen qui multùm differre cre-*

dunt ἀνάθεμα *&* ἀνάθημα. *Sed in Codice Vaticano idem est,* ἀνάθεμα *atque* ἀνάθημα. Denique vt plura huc testimonia non congeram, in capite vltimo Libri Iudith, Aldina, Basileensis, Vecheliana, & quædam aliæ LXX. Seniorum editiones signatè habent verbum inter nos controuersum ἀνάθεμα, vbi in Plantinianis Sixtianisque modò legitur ἀνάθημα, eodem tamen planè significatu, quamquam Latinus Interpres cum de suo addidit vocem *obliuionis*, quæ à Græco textu multis abesse existimatur, videatur ad priorem lectionem respexisse potiùs, quàm ad alteram, adeóque fauisse plurimùm iis, qui penultimam, non, vt vulgò fieri amat, attollunt, sed omninò deprimunt, non secus atque in aliis omnibus Scripturæ locis, quæ Græcam hanc dictionem retinuisse noscuntur.

Quartúm, ἀνάθημα non solùm significare τὸ ἀνατεθειμένον τῷ θεῷ & quocumque modo sanctificatum, sed etiam illud ipsum, licèt rariùs quod *cherem* Hebræi vocant, & in hunc finem Deo consecrabatur, vti vel funditus deleretur, tamquam abominandum & execrabile, vel saltem separatum remotúmque penitus ab vsu communi & commercio profanorum hominum, in locis dumtaxat sacris conseruaretur: vt Theodoretus, Chrysostomus, Suidas, aliique sancti Patres & Ecclesiastici Tractatores docent, quorum verba diffusiùs exhibentur capite 13. & sequentibus Miscellanearum ad Iuliani opera Exercitationum aduersùs Salmasianam vocabuli huius interpretationem. Inscitè ergò cum quibusdam arguas

Aurelium

Aurelium Prudentium, dum de Achane verba faciens, cuius execrandum facinus refertur capite sexto Iosue, hos effudit versus in Psychomachiâ:

Succubuit capto victis ex hostibus auro,
Dum vetitis insigne legens anathema favillis
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis hausit.

Quintum denique ac postremum, tutò vbique in vulgato Bibliorum interprete, etiam citato capite vltimo libri Iudith, penultimam nominis *anathema* corripi posse, eorumque damnandam inscitiam, qui corripientes redarguunt.

HIS à longo iam tempore scriptis, adeóque & prelo subiectis, sed propter innumera menda, quæ in Auctoris absentiâ supina Typothetarum Correctorisve innexerat negligentia, minimè publicam in lucem emissis, prodiit Lutetiæ Parisiorum anno 1643. *Tractatus de recta nominis* PARACLETVS *pronuntiatione, à doctissimo viro* D. Agno Benigno Sanrey sacræ Theologiæ Doctore *editus, qui nonnulla quoque de duplici vocis* ANATHEMA *pronuntiatu subtexuit, vbi citato nostro* Elencho Prosodico, *quem concisum, breuibúsque comprehensum spatiis ante septennium vulgauerimus, acriter atque eruditè contra* R. P. Bartholomæum Gauantum *disputat, admiscétque nonnulla, quibus se nonnihil à nostra discrepare sententia significat.*

Res adeò infeliciter cessit Gauanto, *inquit capite* 49. vt cùm de primo maximè loquutus sit, quod habet penultimam breuem, maluerit tamen illam longari. Cùm alioqui rectè scribat Auctor Elenchi Prosodici Latino Græci, *anathema etiam cùm donum significat, tutò penultimâ correptâ pro-*

nuntiari posse. Cui auctori suffragantem do eruditissimum æquè ac sanctissimum Martyrem Iustinum. Addamus & ipsammet Scripturæ auctoritatem, siquidem lib. 2. Machab. cap. 2. versu 13. vbi habemus, *& epistolas Regum, quæ erant de donariis*, Græcè sic legitur, καὶ ἐπιστολὰς τῶν βασιλέων περὶ ἀναθημάτων. Verùm quia Auctor ille prætereà addit, *nullum esse in tota Scriptura locum, vbi anathema penultimâ productâ pronuntiari debeat, cùm in omnibus Græcè scribatur per secundam vocalem, etiam in capite vltimo Iudith*, ne ampliùs paulò quàm par est videatur asserere, rem tantillò diligentiùs expendamus. Tum capite sequenti.

Patet non ita certum videri, quod Auctor ille Elenchi Prosodici, vir alioquin eruditus, & de re literaria bene meritus, aiebat *anathema* in capite vltimo Iudith Græcè scribi per secundam vocalem. Nam in Bibliis non Plantinianis modò, sed Sanctandreanis quoque, & in aliis bene multis, legitur sic, καὶ τὸ κωνωπεῖον ὃ ἔλαβεν ἐκ τοῦ κοιτῶνος αὐτῆς εἰς ἀνάθημα τῷ κυρίῳ ἔδωκε, *& conopeum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis:* seu, vt vertit Vatablus, donarium Domino consecrauit. Vnde Breuiaria Romana emendatiora in Officio Sabbati hebdomadis quartæ Septembris, vbi locus ille refertur Lectione primâ, habent *anathêma* cum accentu circumflexo in penultima; cùm tamen alibi semper vocem illam acuant in antepenultima. Nec verò hoc nouum est Hagiographis, vt anathema hoc sensu scribant per η Græcum: nam Leuitici 27. v. 28. vbi legimus omne quod Domino consecratur, Septuaginta

habent τοῦ δ' ἀιάθημα (*non consuluit haud dubiè vir eruditus*, LXX. *Sixti Pontificis, siue Romanæ, siue Parisiensis editionis, nec attendit ad annotata viri clarissimi Flaminij Nobilij, vt hæc obiter dictis ipsius interseram.*) Et ibidem, versu sequenti, vbi habemus, *& omnis consecratio*, vertunt illi, καὶ πᾶν ἀιάθημα Præterea hinc etiam patet infirmam esse rationem quam Auctor ille addit, vt probet nullum esse in tota Scriptura locum, in quo anathema penultimâ productâ debeat pronuntiari, *cùm in omnibus*, inquit, *scribatur per secundam vocalem*. Ex his, inquam, labat ista ratio. Quia cùm Latinus interpres & Græci non semper eodem modo explicent Hebræum, hinc fit, vt interdum vocem *anathema* omittant. Quamquam ex Hebræo & sacris interpretibus clarum est his in locis agi de anathemate in sequiore sensu; atque adeò fatendum est, ibi quoque vocem illam pronuntiandam esse penultimâ correptâ, quandoquidem certissimum est, illam semper (atqui hoc falsissimum esse ostendimus suprà pronuntiato quarto) hoc sensu Græcè scribi per secundam vocalem. Ex quo denique patet nihil hinc iuuari Gauantum. Cùm potiùs, illo vno loco Iudith excepto, *anathema* penultimâ correptâ tutò posse pronuntiari, etiam cùm *donum* significat, vt rectè dicebat Auctor ille, manifestè constat ex his quæ attulimus ex Machabæorum historiâ, vbi donaria dicuntur ἀιαθέματα: & ex Leuitici capite 18. vbi quæ ex voto redduntur, appellantur ἀιαπθεματισμένα, & etiam ἐπιθέματα, Quæ omnia efferuntur per. epsilon.

Hæc & iis longe plura vir politioris literaturæ apprimè peritus, quibus tria quatuórve in mea opinionis patrocinium breuiter repono.

Primum est, capite vltimo Historiæ Iudith *anathema* penultimâ breui pronuntiandum esse, quod contractâ in syllogismum argumentatione sic conficio. Illud anathema quod apud Græcos Latinósve sacræ Scripturæ interpretes respondet voci Hebraicæ.... Cherem, rectiùs penultimâ breui effertur quàm productâ, siue res illa Deo vota, oblata, donata, dicata, ac consecrata deleri omninò, pessumdari, consumi, vitámque profundere debuerit, siue tantùm ciuili quadam morte desinere, hoc est à profanis vsibus ad sacros transferri, æternúmque diuino cultui mancipari, vt ne quidem quouis oblato precio aut quocumque in casu licita fuerit illius redemptio, vt pluribus explicant Tirinus, Bonfrerius, Petauius, à Lapide, aliíque sacrarum Literarum enarratores doctissimi; venit enim à themate... *Charan*, quod Hebræis sonat *vastauit*, *destruxit*, *perdidit*, *corrupit*, &c. redditúrque à LXX. Senioribus modò ἀναθεμάτισε, modò ἐξωλόθρευσεν, ἠρήμωσεν, ἀπώλεσεν, ἐφόνευσεν, ἠφάνισεν, ἐπάταξεν ἄρδην, ἀφώρισε, &c. Et sanè vox ista *cherem* in vno tantùm veteris instrumenti capite vertitur in ἀνάθημα, neque id occurrit in omnibus codicibus, aut certè emendatioribus, quales sunt Vaticani, ex quibus expressa fuit editio Romana Sixti Quinti, vt vel ipsi vltrò fatentur aduersarij. Atqui, vt in rem præsentem veniam, talis est *anathema*, illud quod occurrit capite vltimo libri Iudith, respondétque omninò Hebraïcæ voci


Cherem, neque alium ſenſum recipere poſſunt hæc verba, καὶ τὸ κωνώπιον εἰς ἀνάθημα τῷ κυρίῳ ἔδωκε, *&* *conopeum obtulit in anathema*. ſeu ex verſione Vatabli, *donarium Domino conſecrauit*, quàm qui à Moyſe intelligitur capite vltimo Leuitici, aliiſque pluribus Pentateuchi locis; vt res illa nimirum ſummo conſecrationis ritu diuino Nomini mancipata, vſu communi interdicta eſſet atque ſepoſita, tamque arctâ religione obſtricta, numquam vt redimi, diſtrahi, aut commutari poſſet. Nemo quippe prudens ſibi perſuaſerit ſanctiſſimam Heroïnam vaſa bellica, conopeum, ſimiliáque opima Holoferni detracta ſpolia in Hieroſolymitanum detuliſſe templum, vt ſolius ornatus gratiâ, parietibus, columnis, aut lacunaribus fixa penderent, & pro Sacerdotum libito profanis vſibus commerciiſque poſſent deputari, communibus illotíſque paſſim contrectari manibus, compenſari pretio ac recuperari. Accedit quod vulgatus interpres, vt mentem Scriptoris ſacri ſignificaret apertiùs, καὶ ἐμφατικώτερον ὅτι μάλιστα, in probatiſſimis quibuſcumque codicibus *anathemati* vocabulum *obliuionis* ſubiunxerit, non quidem, vt interpretantur Serarius, Tirinus, Menochius, à Lapide, & quidam alii, quia dicatum erat Deo ad arcendam tanti beneficij & victoriæ apud poſteros obliuionem; nec, quæ mens eſt Emanuelis Sa & Sanctii, quia obliuionem afferebat præteritæ famis, ſitis, & mille ærumnarum, quas antè ab Aſſyriis paſſi fuerant Iudæi, ſed quia quod verè *Cherem* erat, & votum ſeu donarium Deo æternùm addictum, quaſi iam deletum omninò, perditum,

abolitum, conſumptum, mortíque ac gladio deſtinatum, ſempiternæ apud homines obliuioni traderetur, nefáſque eſſet ad priſtinos vſus reuocare, ac ſi reipsâ ſublatum ex oculis καὶ ἀναπεθεματισμένον, ex mortalium etiam omnium memoria ac recordatione penitus excidiſſet. Diſplicuit verò plurimùm præpoſtera quorumdam temeritas, qui vulgatam, quâ vtimur, editionem erroris inſimulare non veriti, *obliuionis* vocabulum, quod modò legitimæ interpretationi reddidimus, mutant in *oblationis*, hoc ſenſu, *conopeum obtulit anathema oblationis*, id eſt, donarium ſeu oblationem oblationis Deo obtulit, quod abſonum eſſe eruditis auribus, vt nihil grauius dicam, nemo non videt.

Alterum eſt, minùs videri validum, quod aduersùs dogma noſtrum ex Lectionibus Breuiarij texitur argumentum, vt tum in erudito ad menſam Lectore, tum paſſim in Elencho noſtro docuimus, ac porrò docebimus paulò pòſt in cenſura quorumdam Gauanti προσῳδικῶν σφαλμάτων, qui Romæ ſcribens penſi haud habuit inſperſas libris illis ſacris accentuum pronuntiationíſque notulas in omnibus ſeruare religioſiùs. Præterea ſi quid virium momentíque habeat hæc ratio, actum eſt de cauſa Paracleti, quam vndique magno ſtudio conquiſitis ex omni literaturâ Hebraïcâ, Græcâ, Latinâ ac Gallicâ firmamentis fulcire aggreſſus eſt Benignus Sanreyus, periítque labor eius omnis, atque induſtria in leues euanuit auras; cùm in Miſſalibus, Breuiariis, aliíſque Eccleſiaſticis voluminibus non ſemel, vt ipſe nobis opponit, ſed centies, etiam vbi vox illa numeris alligata

verſuum non eſt, certum ſit, omniúmque oculis obuium, *Paraclitum* ſcribi notatâ accentu ſeu apice proſodico antepenultimâ, proindéque penultimâ correptâ pronuntiari debere; quod ipſe fortè minùs attendit, cùm ſimilia nobis obiiceret.

Tertium denique, vti cætera reſecem, non ſatis accuratè perceptam à Docto viro, quam in medium protuleram rationem, paucioribus fortè verbis ob affectatam breuitatem, quàm vt ab omnibus commodè poſſet intelligi. Propoſitum itaque fuerat mihi oſtendere nullum eſſe contextum in vulgato Bibliorum interprete, in quo nomen *anathema* penultimâ productâ pronuntiari neceſſariò debeat, ſed tutò poſſe vbique corripi, quòd ſcilicet omnibus illis in locis Græca vox Latinæ, de quâ controuertitur inter doctos, reſpondens per ſecundam vocalem ἀνάθεμα ſcribatur, etſi non in omnibus, ſaltem in quibuſdam exemplaribus: quod veriſſimum eſt, vt ſuprà oſtendimus in capite vltimo libri Iudith: & de Epiſtolis Diui Pauli, ac libris Numerorum, Deuteronomij, Ioſuë, Iudicum, Paralipomenon, Zachariæ & Malachiæ Prophetarum, haud grauatè concedent aduerſarij, etſi in Græco contextu non ipſa vox ἀνάθεμα ſemper, ſed ἐξολόθρευσις interdum vel aduerbium ἀφ-δίω, aut quid ſimile atque æquiualens reperiatur.



IV. DISSERTATIO.

Andreas, Angari, angario, angaria, Antonia arx, apis, apes, apella, apsida, Aquitanus, Aquitania.

ANDREAS penultimâ breui pronuntiari debet, vt docuimus in Catholicis Indicibus, & in Erudito sacræ Scripturæ Lectore non semel. Vide noui Testamenti codices Græcos.

Ἀνδρέᾳ εἶπε Φίλιππος ὁμόπτολις.

Nonnus capite 12. suæ in S. Ioannem Paraphraseos, qui metri necessitate coactus non secus ac cæteri Poëtæ, iota nonnumquam adiunxit penultimæ, vt capite primo:

Ἀνδρείας ὅθι ναίεν, ὅπη θρασὺς ὤκεε Σίμων.

Sic Iuuencus, aliique Latini, quibus vt concessum hoc fateamur in carmine, in soluta tamen oratione penultimam huiusce vocabuli attolli posse omnino negamus. Quid enim si *Anacreon, volúcris, tenébræ, baráthrum*, & similia penultimâ acutâ quis proferat, quòd à Poëtis nonnumquam producantur? Accedat ex profanis scriptoribus Athenæus, Ἀνδρέας δ' ὁ ἰατρὸς, &c. libro tertio Dipnosophistarum., & alibi non semel, vt videas non in solis Euangeliorum & Apostolicorum Actuum codicibus nomen hoc penultimam corripere. Quin vt refutentur validiùs vulgatæ illius pronunciationis patroni, ecce plusquam viginti similia nomina, quæ penultimam certo certiùs corripiunt,

corripiunt, *Antheas*, *Aristeas*, *Augeas*, *Bronteas*, *Broteas*, *Chareas*, *Crateas*, *Dameas*, *Drom⁊as*, *Hereas*, *Hopoleas*, *Leuceas*, *Lyceas*, *Lynceas*, *Matreas*, *Mnaseas*, *Paseas*, *Phileas*, *Proteas*, *Pytheas*, *Taureas*, *Timeas*. Quibus & plura alia posse superaddi nullus dubito.

ANGARI, vox Persica, id est *Ministri*, *nuncij*, *regij cursores*, Hesychio βασιλικοὶ γραμματοφόροι, stationis locis per prouincias dispositi, de quibus Estheris cap. 8. versu 10. apud Herodotum libro 8. & alibi plura, penultimam mihi habent prorsus ignotam, quamquam cum pluribus breuiare soleam, neque enim ausim eam pronunciare longam, quòd Arator dixerit:

Nec semel hoc pia iussa canunt, angariat, inquit.

Magis me moueret Æschyli versus in Agamemnone, si non iambus quintam cognominis versus sedem apud Græcos nonnunquam obtineret:

φρυκτὸς δὲ φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγάρου πυρός.

Non omittendum tamen hîc, quod omnino certum videtur, ἀγγαρείας, quâ voce tum sanctus Gregorius in Moralibus, tum Iurisconsulti in Pandectis vtuntur, vbi etiam *parangariæ* occurrunt, penultimam producere, quemadmodum & ἀγγαρεύω; vnde Latino-barbarum *angario* profluxit.

ANTONIA Arx Hierosolymis, olim *Baris* appellata, dicitur à quibusdam penultimam producere, sed falsò: nam apud Iosephum in solis libris de Bello Iudaïco Ἀντωνία per iota duntaxat plusquam vicies triciésve scribitur, & apud Suidam Ἀντωνία πόλις, vt reliquos præteream.

APIS N. P. penultimam producit, quemadmodum & *Serapis*. Vide Ouidium, Lucanum, aliósque Latinos, imò & Græcos, Nonnum lib. 40. Dionysiácon, atque Arrianum apud Eustathium in versum 415. Dionysij Periegetæ, & Stephanum in voce Ἀπία. Solus Gregorius Nazianzenus ausus est corripere, vt etiam in Σάραπις, contra aliorum omnium authoritatem:

Καὶ μόσχος πολύσαρκος Ἆπις, καὶ Μέμφις ἄνοια.

Cæterùm in iactato Horatij versu Satyra 5. libri primi:

Persuadere cupit: credat Iudæus Apella,
Non ego, &c.

Sunt qui putant nomen esse proprium Iudæi in ciuitate Romanâ tum notissimi, Ἀπελλᾶς dicti: vnde iocandi ex ambiguo occasionem arripuerit Poëta: qui verò *apellam* ἐπιθετικῶς pro *curto* seu *recutito* scriptum asserunt, non animaduertunt vix extare apud vllum auctorem similem exceptionem à communi lege Latinorum, qui suum a priuatiuum numquam corripiunt.

APSIS, vel vt communiori vsu scribitur, diciturque *Absis*, crementum variat, quemadmodum & significationem, de quâ multi multa docuere hactenus. Euripides, Homerus Iliados 5. v. 487. Agathias Anthol. libro 1. Archestratus apud Athenæum, & plures alij producunt.

Ἀψῖδα πέτρῳ περιβαλὼν ὀχήματος.
Μήπως ὡς ἀψῖσι λίνου ἁλόντε πανάγρου,
Οὐρανίην ἀψῖδα, καὶ ἀστερίην περιωπήν,

Κεχνὸν ἔθαν Φαέθων πυμάτην ἀψῖδα διφρεύῃ.

Quæ ſi perpendiſſent Lexicographi, auctor Theſauri L. L. aliíque, non tam aſſeueranter pronunciaſſent crementum illius nominis eſſe corripiendum, quod apud antiquiores Poëtas ſemper producitur. Vnus, quod hactenus legerim, S. Gregorius Nazianzenus pag. 249. breuiauit in fine Iambici.

Υποστάσαιτις ὡς ἐρείσματ' ἀψίδων.

Notandum quoque ſæpe à Græcis aſpero ſpiritu notari, ἅψιν verò apud Heſiodum legi in accuſandi caſu. *Abſidam* ſiue *apſidam* leges apud D. Auguſtinum Epiſt. 203. Euodium aliúmve de miraculis S. Stephani, Gregorium Turonenſem, Iſidorum, alióſque mediæ ætatis Tractatores Eccleſiaſticos, quamquam S. Paulinus hæc ad Seuerum Sulpitium ſcribat Epiſtolâ 12. *Sed de hoc* apſidam *an* apſidem *magis dicere debuerim, tu videris, ego neſcire me fateor, quia hoc verbi genus nec legiſſe reminiſcor.* Atque iſta plus arbitror ſatis. De vocis ſignificatu conſule inter cæteros Heribertum Roſueidum in Notis ad S. Paulini opera, & in Onomaſtico ad Vitas SS. Patrum fusè omnia enucleantem.

AQVITANVS ſecundam habet ancipitem. Tibullus libro 2. in carmine ad Meſſalam:

Hunc fore Aquitanas poſſet qui fundere gentes,
Inter Aquitanas gentes & nomen Iberum.

Ita Auſonius. qui tamen non ſemel illam corripuit:

Gallia queis fruitur, gremióque Aquitania lato.

Vt Sidonius, aliíque iis recentiores Poëtæ: vt mirum ſit ſugillare Smetium eos, qui tantis au-

ctoribus modò corripiunt, licet à *frequentibus aquis*, aut ab *Aquis Tarbellicis*, quæ & Augustæ, *Acqs ou Dax*, forte *Aquitæ* primùm, tum *Aquitani* productiore vocabulo dicti sint.

V. DISSERTATIO.

Areópagus, Areopagitæ, Arthresis seu arthritis, Azymus panis, festum Azymorum.

AREOPAGVS Græcè Ἀρειόπαγος, vel, vt sæpius scriptum occurrit diuisâ in duas partes dictione, Ἄρειος πάγος, penultimam absque vllâ controuersiâ corripit: πάγος quippè apud Homerum, Lycophronem, &, vt verbo dicam, apud omnes Græcos Poëtas primam corripit, quemadmodum & ipse docet accentus vel imperitissimis quosque. Videant ergò, qui Calepini similiúmque Grammatistarum errorem mordicùs defendunt, quid ad hæc nostra argumenta respondeant.

Nam primò Euripides in Oreste totam litem apertè dirimit his verbis:

Καὶ πρίν γ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψῆφος ἴσας
Κρίνασ' Ὀρέστα.

Ne verò dubia cuipiam fortè videretur eius vocis originatio, quem priùs Ἄρειον πάγον nominarat, paulò pòst appellat Ἄρειον ὄχθον, quæ vox ab alterâ quantitate dumtaxat discrepat, non significatione.

Deinde constat apud eruditos *Areopagum*, collem

vel tumulum Martis ſignificare, non vt ineptè vulgaria Lexica, vicum Martis, multò minùs pagum aut fontem. Conſulantur Pauſanias, Heſychius, Suidas, aliíque probati Grammatici, qui in loco editiore ſitam fuiſſe Martis Curiam affirmant omnes. Vnum profero inter cæteros Stephanum Byzantium libro de Vrbibus Ἄρειος πάγος ἀκρωτήριον Ἀθήνησιν, ὡς Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν ἐνάτῳ, &c.

Videantur præterea Theſaurus linguæ Græcæ Henrici Stephani, Gallicus Interpres ſancti Dionyſij Areopagitæ in eruditiſſimis notis, Emmanuel Aluares noſter ſub finem Grammaticæ, vt cæteros prætermittam recentiores eiuſdem veriſſimæ ſententiæ propugnatores. Quòd ſi non ſatis ſit in Græcis literis momenti ad extorquendam à pertinacibus aduerſariis veritatem, ſcandant, amabo, Ennij ſenariumapud Varonem.

Areopagiticam eâ de re vocant petram.

Piget enimuerò pluribus refellere eorum inſulſitatem, qui vocabulo Græco, eíque antiquiſſimo Latinam originem decernunt, vnúmque monſtrum hybridæ vocis ex diſparibus membris coagmentant, aut Atticis Athenis Doricâ dialecto παγὰν pro πηγὴν in vſu fuiſſe argutantur, præſertim cùm ex antiquis ſcriptoribus nemo hactenus dixerit Areopagum à fonte, aut proximo fontanis aquis pago, ſed à colle aut ſcopuli vertice deſcendiſſe omnes fateantur.

Sed hæc iam pro inſtituto plus ſatis: vt enim alibi monuimus, contrarius error ab iis proflu-

xit, qui ſuperioribus ſæculis ex ſumma linguæ Græcæ inſcitia *Ethnicos* ab Æthnâ monte, *Diadema* à duo & verbo demere, *implano*, quo bis vtitur vulgatus Eccleſiaſtici Siracidæ interpres, ab adiectiuo planus, *abyſſum* à byſſo id eſt lino ſeu cannabe, *calicem* à calore, *ſymbolum* à bolo ſeu fruſto, *eleemoſynam* ab Eli, quod eſt Deus, *&* Moy, quod eſt aqua, gaſtrimargiam à caſtro ventris, *ἅγιον* ſanctum quaſi ſine terrâ, *cœmeterium* à cimicibus, *phylacterium* à phylare, quod eſt ſeruare, & therith, quod eſt lex, & ſimilia ab aliis vocabulis haud minùs ridiculè deriuarunt.

Antequam verò ad alia progrediar, obſeruandum moneo R. P. Iacobum Tirinum, qui vulgaria Italorum Belgarúmque Typographorum peccata, vt aliàs monuimus, vbique ferè mordicùs tuetur, in hac voce à ſuis deſciuiſſe potenti veritatis virtute coactum, noctráſque partes ſequutum, Areopagi antepenultimam, non vt illi penultimam, lineolâ ſeu accentu acuto notauiſſe.

De ARTHRESI placet audire Fabritium: *Arthreſis* neque Græcum, neque Latinum eſt, vt *pleureſis*, *phreneſis*, *nephreſis*. Illa autem in vulgari abuſu longo tempore manſerunt. Græca ſunt *Arthritis*, *pleuritis*, *phrenitis*, *nephritis*. Quòd ſi temporis præſcriptio, vt apud Iuriſconſultos, ita etiam in regno Latino valet, conſuetudine mille annorum, hæc vocabula iam auctoritatem conſecuta ſunt. Quod vt verum ſit, ſeruandam tamen moneo quantitatem, quæ in *phreneſis* & *phreneticus* eruditis Poëtis placuit.

AZYMVS *absque fermento*, vocabulum est origine Græcum, cuius quantitas dubia mihi extitit ab eo tempore, quo Græcorum libros attentiùs volutare cœpi. ζύμη enim siue ζύμωμα, id est, *fermentum*, primam producit syllabam, seu respicias auctoritatem Nicandri in Alexipharmacis, vbi de fungo agit.

Μὴ μὲ δὴ ζύμωμα κακὸν χθονὸς ἀέρα κήδοι.

Necnon sancti Gregorij Nazianzeni carmine 40.

Ζύμην κρυπτομένῳ λαν ὤνιον ἀχρὸν ἔτι.

Seu coniecturam Etymologistæ, qui eodem modo ζύμην à ζέω, quo ῥύμην à ῥέω deriuat: at hoc vltimum penultimam producit, sicut ῥυμὸς, χυμὸς, & alia similiter finita. Verba magni Etymologici ea sunt, ζέω ζύμη, ὡς λύω λύμη, δύω δύμη, &c. quæ per otium curiosus consulet Lector.

Quid ergo hîc mihi dicendum venit, cùm omnes docti indoctíque passim *azymos panes* penultimâ correptâ efferant? an omnes errare? absit. An Prudentij versu, quem ἀβασανίστως citant Smetius aliíque vulgares Prosodiographi, in errorem illum re minùs consideratâ prolapsos? an potiùs habitam rationem accentûs Græci, qui antepenultimam nominis ἄζυμα occupat? at in obliquis ἀζύμων, ἀζύμοις, ἀζύμους, in penultimam retrahitur: vnde dicendum esset in *azymis sinceritatis* penultimâ productâ. Sed de his sufficiat monuisse eruditos: ipsi quid sentiendum sit, sincerè ac sine fuco iudicabunt.

Panciora deinceps subministrabimus in sequentibus Alphabeti literis; quòd scheda nostra à primâ

consonante ad tertiam vocalem perierint maximâ eorum incuriâ, quorum fidei concreditæ fuerant. Sed quid facias, δείπνου λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον, ait ille: nec tantùm integra iuuant, cùm etiam ex vngue leonem posse dignosci moneat vetus adagium. Quædam tamen ex Appendice repræsentare licebit, quæ nobis salua incolumísque hactenus remansit.

VI. DISSERTATIO.

Bacchides, & Bacchidas, Betheron, Berytus, Bulimus, Bulimia, Bubus, Butyrum.

BACCHIDES mediam corripit, quam producit *Bacchidas* quidam Sicyonius in veteri epigrammate, quod ex Amphione Thespiæo recitat Athenæus libro 14. Dipnosoph.

Εἰμὶ δὲ Βακχίδας Σικυώνιος, ἦρα θεοῖσι.

De iis plura notauimus Parte vndecimâ Prosodiæ illustratæ, §. 6. pag. 87. vbi de Patronymicis in *ides* quædam non vulgaria obseruauimus.

BETHORON. Vide paginam 244. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris.

De BERYTO non est quòd solicitus sim, cùm explosis versibus aliorum ineptis, Ludouicus Caualli substituerit versum Rhemnij Fannij, qui à Dionysio Periegete aliisque signatam quantitatem obseruat. At est quòd conquerar ex eodem Fannio citari versum 38.

Bulimeon pariter prestringes littore currit.

Nam

Nam *bulimus*, *bulimia*, *bulimeos* ſecundam abſque vlla controuerſia producunt, tum quòd à λιμὸς, de qua voce iam ſuprà nonnihil diximus in *Alimus*, deſcendant, tum quòd id apertè inſinuent veterum Poëtarum monumenta Timoclis atque Lini apud Athenæum in Dipnoſophiſtis:

Βούλιμός ἐςʼ ἄνθρωπος ὅτι βούλει λέγε,
Βίου πενίην, πολεμία λιμοῦ, φύλαξ
Φιλίας, ἰατρὸς ἐκλυτοῦ βουλιμίας.

Rectè ergo Honterus ille, quem citat Kirchnerus, licèt in pleriſque aliis cœcutiat:

Bulimus, *languens dyſpepſia*, *calculus*, *ichor*.

BOBVS & *bubus* quantitate differre quidam contendunt. Vide quæ obiter ſcripſimus Parte III. Proſodiæ illuſtratæ ad regulam ſecundam pag. 24.

BVTYRVM non primam tantùm, ſed & ſecundam producit. Vide quæ poſtea dicemus in litera T, in voce *Tyro* ac ſimilibus, quæ deſcendunt ex Græco τυρὸς *caſeus*. Conſulendam quoque hîc moneo R. P. Ludouici Caualli Ianuam Muſarum, vbi iure merito reiicitur Germanica *butyri* originatio.



VII. DISSERTATIO.

Caris, Cares, Carion, Catabulum, Chareas, Chius, Chalcitis, Cicuro, Colum, Colicus dolor, Colus, Corbonas, Cuma, Corbita & Cuculus.

CARIS piscis quidam ex numero τῶν μαλακοστράκων, à capite siue ἀπὸ τοῦ κάρα deriuatur, auctore Athenæo, mutatâ primæ syllabæ quantitate, κάρα enim primam semper corripit, ideóque ait primam τῆς καρίδος apud Atticos corripi, de quo viderit ipse. Cæterùm crementum variat, vt aliàs docui: Antiphanes, Araros, Archestratus, Oppianus, aliíque sæpius producunt; corripiunt verò Eupolis, Aristophanes, aliíque, quorum fragmenta recitat Athenæus. *Cares* Asiæ populos primam saltem sæpius producere ostendimus in Elencho. Hoc vnum modò superest Καρίων *fluuij nomen*, vtramque longam habere apud Callimachum, cùm Καρίων nomen propium viri cuiusdam penultimam Euphroni breuiet:

Ὅταν ἱερανισταῖς Καρίων διακονῶς.

CATABVLVM, Græcis *nauale seu emporium*, Latinis *stabulum*, vt Papias docet in Onomastico, habetúrque in Actis sancti Marcelli Papæ, penultimam pro certo corripit, κατάβολος enim Græcè ἀπὸ τοῦ καταβαλεῖν. Vt enim pro Græco Ζάβολος *Zabulus*, sic *catabulus* pro *catabolo* dici amat. Vide Meursium in Glossario Græco-

barbaro. De *Caduceo*, *Caco*, *Centaureo*, *Chemia*, *Cichorea*, *Conopeo*, *Coryco*, *Cyclamino*, *Cunila*, *Chrysoprasо*, similibúsque controuersis apud eruditos dictionibus plura scripseram in Elencho, cuius iacturam mecum plurimi dolent ac lamentantur, cùm mihi modò integrum non sit omnia reuocare in memoriam, quæ ex variis Auctoribus hinc inde collecta chartis illeueram.

CHÆREAS penultimam corripit. Vide pag. 267. Appendicis ad Eruditæ Pronunciationis Catholicos Indices, & Auctarium Elenchi nostri, in quo hæc reperimus. Alexis apud Athenæum:

Ὁ χαιρέας κυάθους προπίνων εἴκοσι.

Exegit pœnas de Cæsare Chærea mollis:

Ausonius, qui veterem primæ declinationis nominandi casum vsurpauit, *Chærea* vltimâ breui pro *Chæreas*, sicut *Anchisa*, *Ænea*, *Eurota*, *Atrida*, *Oresta*, *Thyesta*, *Marsya*, *Iarba*, more Æolum ac dialecto, vt volunt. Facessant ergo, qui cum Gauanto penultimam attollunt. De nomine *Chius* adiectiuo obseruaui aliàs distichon Demodoci cap. 43. εἰς πονηρούς, libro secundo Anthologiæ:

Καὶ τόδε Δημοδόκου, Χῖοι κακοί. οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ.
Πάντες πλὴν Προκλέους, καὶ Προκλέης δὲ Χίος.

Non enim nescius sum *Chios* siue *Chius* substantiuum passim corripi. Horatius lib. 1. Epist. 11.

Roma laudetur Samos, & Chios, & Rhodos absens.

CHIVS verò adiectiuum primam protrahere apud Ouidium, Columellam, Martialem, Ausonium, alióśque classicos Poëtas. Vide Stephanum Byzantium de Vrbibus.

CHALCITIS secundam producit, Græcè χαλκῖτις. Corrigendus itaque fuerat Marcellinus apud Serenum cap. 71.

Cadmia, chalcitide, chalcantho, calce, cumino. Sunt qui cum Kirchnero *chalciti* legant, ego leui vocabulorum transpositione remedium adfero:

Cadmia, calcantho, chalcitide, calce, cumino.

COLVM vas prælorum, *colon* membrum, primam producere vel pueris notum: de *colo* intestino, vnde *colicus* dolor, hæc Obertus Gifanius suis in Lucretium Collectaneis: Falluntur *ait ille*, omnes & Lexicographi & Medici, qui intestinum hoc κῶλον vocant errore turpi, & vt ita dicam, œcumenico. Primò verba inde deducta eum reuincunt, nam perspicuè docet Pollux libro 2. κολάζειν, κολασήεια inde manare. Deinde Hesychius disertè κόλον scribit, & ait etiam notare ἔντερον, in quo quia series dictionum sciolos illos fefellit, recta mansit scriptura. Miror tam pertinacem hîc errorem, nam ex versibus facilè potuisset deprehendi: Serenus, vbi de colo sedando,

Cùm colus inuisum morbi genus intima carpet.
Sic Democrates apud Galenum libro 8. de compositione medicamentorum: Τῶν ἐντέρων τε καὶ κόλου τῶθ' ἥπατος (vt ipse quidem emendat, nam in editis est verè κώλυ) & paulò pòst in alio malagmate: Αἶρον διαθέσεις τὰς νεφρῶν τε καὶ κόλου; & libro nono, Εἴτε κόλον παχύνει τις ἅπαξ δοθὲν εἴτε τις ἧπαρ. Hæc & plura προπετῶς sanè, & quam pro innatâ modestiâ reique veritate audaciùs: quæ si quid, hoc certè vnum probant, κόλον ac κῶλον, vtroque modo

ſcribi, ancipitique interuallo vſurpari poſſe, vt conſtat vel ex ipſo, quem Medicis Giſanius in prima acie opponit, Iulio Polluce, ex Galeno infinitis locis, ex Dioſcoride, ex Oribaſio, ex Tralliano, ex Actuario, ex Rufo Epheſio, & aliis plurimis apud Henricum Stephanum, recentioréſque, quos piget exſcribere. Hæc enim vocula integrum occuparet librum, ſi quis pro re tractare ac explicare vellet; Ego vt faculam tantùm præferam ſtudioſis Medicorum filiis, hoc vnum addam, δηλοῖ δὲ καὶ τὸ ἔντερον apud Heſychium videri poſſe adſcititia, cum eius racematores Suidas, Varinus, aliíque de hac eius vocabuli notione ne γρῦ quidem., & apud Serenum vulgò legi, *Cùm colum inuiſum*, &c. aliunde verò inteſtinum illud κόλον ἀπὸ τοῦ κόλου, id eſt à cibo (vnde quoque κόλακα, δυσκόλον & βουκόλον, deriuant alij) vel ἀπὸ τῆς κοιλότητος à *curuitate* & *flexu* videri non abſurdè poſſe appellari. In iis porrò tricis hærentem effugerat propè Lucretij verſus, cuius gratiâ hæc eſt commentatus Obertus noſter:

Vndique quà circum celi lorica coëret.

Licèt pro *colo*, alij *corpus*, alij *colli*, alij denique *colobi* ſubſtituendum putauerint.

CORBONAS longis annumeraui, fauentibus Ioſepho Iudæo, aliíſque antiquis ſcriptoribus, qui κορβωνᾶν interpretantur ἅγιον θησαυρὸν, ſimiliúmque nominum apud Græcos analogia; *Capronas*, *Mammonas*, *Petronas*, *Samonas*, *Theonas*, &c. Quamquam non ignorem in quibuſdam Suidæ & S. Ioannis Chryſoſtomi codicibus in pe-

nultima reperiri omicron : ſed, ni fallor, mendosè : nam in emendatiſſimo contextu Græco, & in quibuſdam vulgatæ verſionis editionibus, vt apud Maldonatum videre eſt, corbanam ſcribitur, non corbonam, & certè à κορβαὶ, vt à πταὶ, Παιαὶ, ac ſimilibus extenſio ſiue παράτασις produci debet.

De CINYRA ſiue *Cinnyra* inſtrumento quodam Muſico vide quæ ſuprà diximus in Erudito Sacræ Scripturæ Lectore, & in Theſauro noſtro Proſodico Græco-Latino pag. 87.

CVMA, *Cumæus*, *Cumanus*, &c. ſemper primam producunt : quare ex verſu Nicandri apud Athenæum libro nono expungendam *reor*, τε, particulam :

Βατραχὶν Κύμη τε κακόχροος, ἡ μὲν ἔοικε.

Nec recipio Caſauboni explicationem. Verùm hæc maioris ſunt otij, & alterius loci.

De CICVRO, CORBITA & CVCVLVS, vide Voſſium capitibus 37. & 38. libri 2.

VIII. DISSERTATIO.

Decani apud Aſtrologos, Demaratus, Debbora, Delibutus, Dithyrambi, Diabolus, Diabathra, Diatriba.

DECANI, qui fuerint apud Græcos veteres recentioréſque, docebunt te, cùm Aſtrologi, tum Meurſius, aliíque in Gloſſariis mixobarbaris ; nos quantitatem vocis hîc dumtaxat vena-

mur. Corippus libro tertio de Laudibus Iustini Iunioris Imperatoris:

Turba Decanorum, Cursorum, in rebus agentum.

Quas partes decimas dixere Decania gentes: Manilius libro quarto. Cùm verò de hoc nomine Astronomico *Decanus*, an Latina vox sit, an ex Hellade profecta, digladientur inter se Grammatici; probabilior mihi videtur Iosephi Scaligeri sententia, quàm aliorum, quia à δέκα deriuant. Vt enim rectè Scaliger. Qui Græcè & Latinè sciunt, numquam concedent δεκανὸν Græcâ analogiâ deflexum esse; nam si verum erat, etiam analogiâ πεμπανὸν, ἑκτανὸν, & similia concederet. Contrà verò militiæ Romanæ sunt, *Primanus*, *Quintanus*, *Decanus*. Reliqua in præsens omitto, vt proprio huiusce, quam modò tractamus, disciplinæ argumento Scaligerianam opinationem corroborem: si enim verè à δέκα, ergo penultima τῶ δεκανοῦ corripitur. Sola enim Gentilia & Propria, quæ Romanam sapiunt inflexionem, illud alpha producunt.

DEMARATVS, qui etiam apud Valerium Maximum lib. 3. cap. 4. scribitur Damaratus, *Pytharatus*, *Archidamus*, *Agesidamus*, & similia Doribus vsurpata, non secus atque *Damon* & *Aratus*, penultimam producunt. De *Arato* id multorum auctoritatibus constabilire possem. Sufficient Ouidius, Statius, Germanicus Cæsar, Heluius Cinna ab Isidoro adductus, &c.

Cum Sole & Stellis semper Aratus erit.

Causa queat, doctique modos extendis Arati.

Ab Ioue principium magno deduxit Aratus.

Hac tibi Arateis multum inuigilata lucernis.

Videndus etiam Vossius capp. 33. & 38. lib. 2. de Arte Grammatica, nec cassâ nuce redimenda quæ à quibusdam referuntur Sidonij Apollinaris, Claudiani Mamerti, Venantij Fortunati, & aliorum mediæ ætatis carmina.

DEBBORA, *Diacon*, *Dioryx*, vide suprà pag. 246. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris.

DELIBVTVS secundam Horatio corripit Ep. 8.

DITHYRAMBI primam non semel produxit Machon antiquus Poëta citatus ab Athenæo, vt videas non solùm id ausum fuisse Horatium. Idem quoque ter aut quater præstitit in *Diphilus*, vnde disces quos imitatus sit Iuuenalis satyrâ tertiâ:

Τῶν διθυράμβων τὴν ποιητὴν γεγονέναι,
Παρὰ Γναθαίνῃ Δίφιλος πίνων ποτέ.

Quòd verò *Diaconus* & *Diaconia* non omnes apud Græcos corripiant syllabas, vt quidam asserunt, patet, tum ex versu Euphronis, quem modò attuli in nomine Καρίων, tum ex Aristophane, Anacreonte, Tragicis, Comicísque, quos plures in medium producere possem, si opus esset. An verò illud alpha naturâ longum sit, an licentiâ, aut necessitate metricâ, disceptandum Gretsero nostro relinquo. Hoc vnum dicere possum, quidquid sit de vocis origine sentiendum, numquam illud occurisse breue. *Diabolus* verò, *diabathra*, & *diatriba* omnes priores corripiunt. Plato Comicus & Timocles ex pluribus aliis seligentur post Plautum:

Sedentarij, sutores, diabathrarij.

Καὶ ταῖς διατριβαῖς ὥσπερ ἀποδιδρακότα.
Ἀποδοκιμάζει τὴν τοιαύτην διατριβήν.
Secundam τῆς διαβολίας necessitate adactus produxit Theognis.

IX. DISSERTATIO.

Elatæ palmarum, Eugenia, Euthalia, Euripides, Exetra, Fortuitus, Fulica, Gadria, Gades, Gratuitus, Galea, & Galéa.

ELATÆ *palmarum* Cantici Canticorum cap. 5. versu 11. penultimam haud dubiè corripit, quam producere debet *Eleale* Num. 31. versu 37. Vide pag. 247. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris, & quos Delrius & Bessonus nostri scripserunt in Cantica commentarios. Quæ enim aliàs in eam rem paraueram, non sunt super: nec quæ de vocibus *Fortuitus* & *Fulica*, de quibus Vossius lib. 2. cap. 37. & 38.

EVGENIA & *Euthalia* nomina propria mulierum, penultimam citra controuersiam corripiunt, errántque insigniter, qui ab εὐγενὴς & εὐθαλὴς deriuant, cùm oriantur à masculinis *Eugenius* & *Euthalius*. Accedat Suidas, qui litem absque vlla spe prouocationis diiudicet. Εὐγένεια, ἡ καλλ γενεά, Εὐγενία δὲ ὄνομα κύριον διὰ τοῦ ι. & in simili postea, εὐλάβεια, ἡ καθαρότης καὶ ὁ φόβος, Εὐλαβία δὲ ὄνομα κύριον. Vide pag. 235. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris, & pag. 269. Appendicis ad Catholicos Indices.

EVRIPIDES Poëta tragicus. Vide Vossium lib. 2. de Arte Grammatica cap. 33.

EXCETRA vox Latina, *Hydram* apud veteres significans, penultimam certo certiùs corripit, contra quam Calepinus, Thesaurus linguæ Latinæ Roberti Stephani, Pareus in Lexico Plautino, aliique vulgò existimant, dum penùltimam accentu circumflexo notare non verentur. Fundus opinationis meæ est Actij seu Attij Tragœdia Trachiniæ inscripta, atque ex Græco Sophoclis penè ad verbum expressa: cuius quinque supra quadraginta integros senarios versus vno tenore recitat Cicero libro Tusculanarum Quæst. 2. ex quibus quinque nobis modò ad institutum sufficient.

O pectora! ô terga! ô lacertorum tori!
Vestróne pressu quondam Nemeaus Leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hac dextra Lernam tetrâ mactatâ excetrâ
Placauit? hac bicorporem afflixit manum, &c.

quibus contraria aduersariorum eliditur sententia. Quid enim ad hoc respondeant? Rectè ergo atque eruditè cecinit nonnemo,

O Calue patriæ perfuga, Lemani excetra,
Monstrum Genauæ, vomica Tartareæ Stygis, &c.

At obiiciunt Plautum bis vocem illam vsurpantem, Persæ scilicet initio, *vbi Herculis labores enumerat*, & Pseudoli actu 1. scenâ 2. vbi *meretriculam quandam* aculeato scommate *excetram* appellat, hoc est *hydram*: sed neutrobi aduersariis suffragatur Plautus, nostras potiùs in partes vltrò concessurus, si eius ope nobis opus esset. Obiter quoque castigandi Camerarius, Lambi-

nus, Pareus, & quidam alij, qui in posteriore Plauti loco *excetram* interpretantur *viperam*, cùm nemo, quod viderim legerímque, similem huic voci subesse sensum afferat, aut ab ἔχις deriuet, sicut neque porcetram, similísque exitus, si quæ sint, alia vocabula. Esto enim eadem Hydra Lernæa ab Ouidio dicatur *echidna*, quæ vox manifestè Græca est, & *viperam* seu *viperulam* significat, nemo tamen vicissim, aut *excetram*, aut ipsum etiam *Echidnæ* nomen pro quacumque vsurpauit *viperâ*: verùm hæc alterius fortè sunt loci. Veritatem hanc prosodicam inter sui sæculi densissimas tenebras viderat, & sagaciter subodoratus fuerat Iulius Scaliger, dum sic cecinit:

Abite, date locum excetræ igniceruici:

Vaticane pater, Capitoline, Excetricida.

Cæteri enim plerique omnes cæcutisse in hac voce videntur Plauti quibusdam versibus malè dimensis in errorem grauissimum perducti: quâ de re, & de significatis eiusdem nominis hoc loco non addam plura.

ΓΑΔΕΙΡΑ *Gades* & Γαδειρόθεν *ex Gadibus*, apud Dionysium semper primâ breui. Gadira *ceruices terrarum* dum vertit Apuleius libro tertio de Mundo, omni procul dubio respexit ad etymon γᾶς δειρὰ: quare rectiùs videntur Latini Poëtæ Horatius, Virgilius, Statius, Martialis, &c. producere primam in *Gades*, si tamen Punico verbo quærenda sit Græca origo.

GRATVITVS penultima longa profertur à quibusdam, non secus ac *Fortuitus* & *Pituita*, de quibus aliàs.

GALEAM militare capitis munimentum, omnes corripiunt Poëtæ, nec exemplis ad id probandum est opus. Quòd verò quidam vulgò illud idem in *Galea* nauigij cuiusdam præcipuè piratici genere attentare audent, in hoc mihi grauissimè errare videntur : I. enim repugnat Gallici idiomatis consuetudo; dicimus enim elatâ penultimâ *vne Galée*, vnde fortè barbarum illud vocabulum, vt pleraque alia, apud Latinos medij æui scriptores emersit. II. Plerique ex iis *Galeiam* aut *Galeidam* scribunt, & Græci nonnulli γαλαίαν, licèt etiam γαλέα sæpius reperiatur, necnon γαλιάτζα. III. Poëtæ id suadent, Gothefridus Viterbiensis in Chronico, parte octaua :


Dum petit Italiam celeri vectante galea,
Victor apud Latium legitur captasse trophæa :

Alius quidam apud Matthæum Parisinum in Annalibus ad annum Christi 1243.

In terris galeas, in aquis formido galéas;
Inter eas & eas, consulo tutus eas.

IV. Grammatici sic præscribunt in versu Lexicographis non ignoto, quem subiicio.

Armo caput galea, pelagus percurro galéa.



X. DISSERTATIO.

Halicarnasseus, Harmoge, Herios, Hermias seu Hermeas, Hermione, Hilum, Hyperides.

HALICARNASSEVS malè à quibuſdam penultimâ longâ ſcribitur ac pronunciatur, cùm ſit Græcè Ἁλικαρνασσεύς: Verùm de illa dictione & de omnibus in EVS deſinentibus, ſiue *propria*, ſiue *appellatiua* ſint ac *Gentilia*, abundè diſſeruimus in longiori diſſertatione, quam in duodecim capita diſtributam exhibebimus paullò pòſt cum quibuſdam aliis plura ſuo ambitu complectentibus. Nonnulla quoque ex illa diſſertatione excerpta emiſimus aliàs, tum ſub finem Eruditi ſacræ Scripturæ Lectoris, tum Parte Nonâ Proſodiæ Illuſtratæ in tertiâ editione, & ſeqq.

HARMOGE vox etiam Latinis antiquioribus vſurpata; Varro in Fabulâ ὄνος λύρας penultimam ritè corripuit:

Quem mobilem diuum lirans ſol, harmoge
Quadam gubernans, motibus diis veget.

HERIOS vtramque priorem protrahere docere nititur Smetius ex hoc verſu Manilij,

Bactráq; & Herios, Babylon, & Suſa, Panóſq;

At hunc Ioſephus Scaliger ſpurium cenſet. Quid ſi legas?

Bactráque, Ariíque, Babylon, & Suſa, Hypaniſque.

Neque enim cum nugis amouendus hic verſus, cùm ſequatur,

Nomináque innumeris, &c.

HERMIAS, ſiue *Hermeas*, de quocumque dicatur, penultimam producit. Aliàs exiſtimaram auctore Suidâ ſolum *Atarnenſem Hermiam, Ariſtotelis diſcipulum,* penultimâ correptâ, ac per nudum iota ſcribi debere. Sed ne hoc quidem verum eſt. Ecce enim Athenæus libro 15. aliíque eo priores poſterioréſque ſcriptores, qui de Regulo illo loquuntur, per diphthongum ſcribunt, & magna ſanè ſuſpicio eſt deceptum Suidam nomine ambiguo carminis Iambici, quod ſæpè, vbi præſertim de Hipponacte agitur, non genuinum Iambum, ſed χωλὸν ſeu χάζοντα ſignificat. Erit ergo verſus hic Hipponactis verus ſcazon.

Εὐνοῦχος ὢν καὶ δοῦλος ἦρχεν Ἑρμείας.

HERMIONE nomen proprium, *Hermiona* vrbs, *Hermiones* populi, vtramque mediam corripiunt. Quare verſum Virgilij 472. in Poëmatio de Ciri, qui vulgaribus Grammaticis fraudi fuit, ſic legendum iampridem docuit Ioſephus Scaliger in notis ad Catalecta Maroniana:

Hinc ſinus, hinc ſtatio contrà patet Hermionea.

Quam ſanè conjecturam firmat Stephanus Byzantius libro de Vrbibus, qui Ἑρμιόνην vocat ἀπὸ τῆς Ἑρμίονος γενικῆς, tum ſubdit τὸ ἐθνικὸν Ἑρμιονεὺς καὶ Ἑρμιονὶς τὸ θηλυκόν. Adi quoque Suidam, atque imprimis Pauſaniam ſub finem Corinthiacon. Nuperi ergo Grammatici cum frigidâ ſuâ diſtinctione ἐῤῥέτωσαν.

HILVM & *perhilum* apud Ennium, Lucre-

tium, alios, penultimam producunt: vnde non absurdè cum quibusdam eruditis hominibus dixero factum ex *hilum* & particulâ *ni* pro *ne*, *nihilum* penultimam producere, atque in scandendis versibus, quos vulgò plerique obtendunt, synizesin intercedere. Verba Gifanij accipe in Epistolâ ad Lectorem Lucretio præfixâ: Hic opus est synizesis, quòd altera in *nihilo* syllaba producatur, *ni hilum* enim prior est longa. Eandem quoque figuram agnoscit idem Obertus in voce *nihil*, licèt eam triuiales quidam, vt vocat, Grammatici sæpè detruncent, & ex dissyllabâ monosyllabam facere sublatis duabus litterulis contendant.

HYPERIDES Orator Græciæ quondam celeberrimus.

Ὅτ' ἐν λόγοισι δεινὸς Ὑπερείδης ἔχει:

Ita Timocles apud Athenæum, qui nomen hoc cum diphthongo sæpius scribit, non tamen semper, vt patet ex libro 12. pag. 552. Ammonius item cum diphthongo; Suidas absque eâ: sic alij variant: Quare tu, vt volueris, penultimam attolle, deprime. Penè omiseram obseruare grauiter aberrasse à scopo Erasmum in Conuiuio Poëtico, dum luxatum Sedulij versum sic sanare instituit; *Herodes hostis impie* hoc vno malagmate, quod Ηρώδης apud Græcos, perinde ac Σωκράτης, in vocatiuo, ὦ Σώκρατες, ita habeat ὦ Ηρῶδες, quasi nomen Ηρώδης ad primam Contractorum pertineat, non autem ad primam Simplicium, & in genitiuo Ηρώδεος Ηρώδους, non verò Ηρώδου, tum Ηρώδῃ, Ηρώδην, &c. Quæ monuisse volui-

mus, ne doctos etiam viros hoc tempore deludat hæc parum ſana Eraſmi curatio. Neque aliam huic malo medelam ſperare licet, quàm fatendo Sedulium vltimam τῶ *Herodes* breuiaſſe eodem dumtaxat, iure quod ſibi per fas nefáſque vſurpauerant temporum illorum Eccleſiaſtici Poëtæ, qui vltimam in *pubes*, *proles*, *lues*, *fames*, *lyriſtes*, *Ioannes*, *Moſes*, ac ſimilibus corripere ſolebant, quod etiam me paucis inſinuaſſe memini Parte Quarta Proſodiæ Illuſtratæ ad Regulam nonam.

XI. DISSERTATIO.

Iamnia, *Iaſon*, *Implano*, *Infrunitus*, *Idea*, *Idolothytum*, *Inarime*, *Indigeti*, *Inſuber*, *Intro*, *Inuolucre*.

IAMNIA vrbs, *Iaſon* N. P. in libris Machabæorum, *Implano* Eccleſiaſtici cap. 15. v. 12. &.cap. 34. v. 11. à nomine ſubſtantiuo Latino-Græco planus, *Infrunitus*, eiuſdem libri cap. 23. v. 6. & cap. 31. v. 23. *Ixion* Deuteronomi cap. 14. verſu 13. & ſi quæ alia obiter à nobis illuſtrata ſunt pagg. 248. & 249. Erud. ſacræ Scrip. Lect.

IDEA penultimam abſque vllâ dubitatione corripit; ſcribitur enim apud Græcos cum nuda vocali *ἰδέα*.

Παρνίας ἰδέας πύχων ὡς αὖ σὺ κελεύῃς:

Archeſtratus non ſemel, cui iunge, amabo, Orpheum.

Ἀλλοκότοις

Ἀλλοκότοις ἰδέαις μορφῆς τύπον ἐκπροφαίνουσα.

Desinant ergo imperiti auctoritatem Calepini sui, aut nescio cuius Poëtæ apud Mart. Smetium prætendere, in quo tam prima quàm secunda inscitissimè producitur, cùm vtraque breuis sit.

IDOLOTHYTI penultimam corripiendam esse coaceruatis plusquam viginti veterum testimoniis in θυτήειον, ἄθυτος, βουθυτῶ, θύτης, &c. docueram, in Elencho nostro integro. Duos quoque versus, in Appendice cæteris addendos descripseram ex Anthologiâ & Orphei hymnis, quos modò tibi repræsento, dum reliqui occurrant:

Οἱ ἔπι ταυροθύτοις λοιβαῖς καὶ ἱερὰ καλά.

Ῥέξει καλλιθύτων ταῦρον ὀρεινόμον.

De iisdem quoque vocibus nonnulla reperies in Prosodia nostra Græca, vbi agitur de Tertia Deriuatorum ac Verbalium Classe, paginâ 99. & seqq. De *Idolo* & *Idolio* non est quòd plura iis addam; quæ ab aliis contra auctoritatem Prudentij prolata sunt.

INARIME, siue *Ischia* seu *Pithecusa* insula, quam Græci Αἰμα vocant, Latini autem Poëtæ Silius, Statius, Ouidius duce Virgilio Inarimen. Vide Erythræum in Indice Virgiliano, Plinium Secundum, atque Hermolaum rectè castigantem.

Εἰν Ἀρίμοις ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. Il. 2.

Inarime Iouis imperiis imposta Typhoeo,

Virg. Æneidos nono.

INDIGETI populi Hispaniæ, penultimam corripiunt, quos Ptolomæus Ἐνδιγέτας, Stephanus Ἰνδικήτας appellant. Auienus autem *Indigetes* vocat penultimâ productâ.

INSVBER Inſubris Ciſalpinæ Galliæ circa Mediolanum incola, penultimam corripit, ſic enim corripuere Crinitus, Mantuanus, Scaliger, Auberius, aliíque huius & præcedentis ſæculi Poëtæ ſummi, nec immeritò: nam ſi analogiam ſpectes, *coluber* æquè nomen ſubſtantiuum penultimam corripit; *ſaluber* autem à cremento *ſalutis* pendet: ſi verò Græcam literaturam attendis in excerptis Polybij lib. 16. & ex eodem auctore apud Stephanum Ἰνσοῦβροι dicuntur penultimâ breui.

INTRO variat vltimam, tum in compoſitione, tum extra eam. Smetius ex Lucretio auctoritatem productionis dumtaxat protulit, & viri docti inter appoſitiones, quæ vltimam in o, deſinentem tantummodò protrahunt, recenſent *intro* & *retro*: Tu verò non ſemel correptas inuenies apud Auſonium in Ludo ſeptem Sapientum, & apud Terentianum de Metris. Quare dicendum aliàs monuimus *întroduc* non *intróduc*. Sic *introitus*, *introeo* medias corripiunt.

Sic introfertur τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου.

Intretulere tamen, &c.

Affertur & ex Statio verſus, in quo vltima illa breuiatur, ſed nondum mihi occurrit.

INVOLVCRE, linteum quo tondendi inuoluuntur, & *inuolucrum*, penultimam producunt, quamuis Prudentius non ſemel, approbante pro more Smetio, ſimilibúſque Proſodiographis, penultimam in voce *inuolucrum*, quæ à ſupino longo formatur, inſcitè corripuerit, & poſt eum Mantuanus, aliíque.

XII. DISSERTATIO.

Io, Ioannes, Iones, Iordanes, Iphitus, Italus, Iubilo, Iubilæus, Iudaïcus.

IO nomen proprium, vtramque producit teste Horatio, aliísque Græcis Latinísque Scriptoribus:

Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes,

de arte Poëtica. At Io, particula doloris atque lætitiæ index, Græcè ἰὼ vel ἰῶ, primam apud omnes corripit & producit vltimam:

Dicite io Pæan, & io bis dicite Pæan.

Ouidius, aliíque similiter. At Martialis primam produxit, respexítque, vt arbitror, ad famosum illum versum Apollini acclamatum, ἰὴ Παιάν, &c. De quo Terentianus, Athenæus, aliíque Grammatici:

Clamant ecce mei io Saturnalia versus.

Nisi quis fortè ad synecphonesin seu synezesin hîc quoque recurrere velit, & *io* monosyllabum facere mutatâ vocali in consonantem. In seqq. duobus versibus iambicis Ennij vtrobique secundam sedem obtinet spondeus, ne quis inde ansam errandi arripiat.

Quòd si Argus seruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno apposuit coniugem, &c.

IOANNES, Græcè Ἰωάννης quadrisyllabum est, & per ω scribitur: quod tamen non impedit quo-

minus & trisyllabωs efferri debeat à Latinis, & prima possit à Poëtis breuiari : sic enim Arator, Sidonius, alij passim. Apud Prudentium, Iob claudit Hexametrum carmen, obtinétque spondei vicem : minùs equidem rectè, quoties enim Hebræum I transit in vocalem, à Græcis Latinísque corripitur, vt patet in Iesvs, *Ioannes*, *Iacobus*, *Ionas*, *Iordanes*, *Ioseph*, &c.

Ægyptum cum matre simul transportat Ioseph, Iuuencus, vt plures longo ordine non cogar exscribere.

Iones populi, *Ionia* regio, *Ionicus*, *Ionides*, primam corripiunt, & producunt secundam semper. *Iones* etiam vocat Homerus Ἰάονας, tum Iliados 13. tum Hymno secundo, & Nicander Nymphas *Iaonidas* :

At tu seu mollis quà tendit Ionia, seu quà, Propertius.

Nec Latium norat, quam præbet Ionia diues, Ouidius.

Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas, Idem.

Motus doceri gaudet Ionicos.

Alcaïcus Horatij, vt omittam Dionysium Periegetem, aliósque Græcos Latinósque Poëtas.

At obseruandum sedulò, ne cum Calepino similísque genij Grammaticis errandi ansam imperitis adolescentibus præbeamus, *Ionium* pelagus, *Ionias* aquas, & similia, semper primam producere secundâ correptâ : Testes produco ex innumeris duos Virgilium & Ouidium :

Nosse quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Ioniúmque rapax, Icariúmque rapit.

ηντι καὶ Ἰονίην πρείτατα ἠνδάξαντο, Dionysius, vt cæteros omittam. Neque enim vnquam mihi probari potuit eorum sententia; qui ab *Ionibus* Græciæ Asiæve incolis denominatam volunt *Adriatici* partem illam, quæ *Ionium* mare dicitur. Certè, vel ἀπὸ τοῦ Ἰονίου Ἰλλυρικοῦ, ἢ ἀπὸ Ἰονὸς Ἰταλοῦ deriuant quidam apud Stephanum, qui haud dubiè hic mancus est atque aliquâ parte mutilatus, suppleríque debet ex Eustathio, qui in versum Dionysij 94. multa eruditè pro more colligens ἀπὸ τῆς Ἰοῦς deducit, auctoribus Lycophrone atque Æschylo ἐν Προμηθεῖ δεσμώτῃ. Hæc verò notatio cum prosodia mirè congruit. Idem quoque Eustathius Gazam olim dictam Ἰόνην addit, quæ à Stephano scribitur per Ωμέγα Ἰώνη. Fuit & vicina in eadem Palæstinâ ciuitas Iosepho, Stephano, & Dionysio, v. 910. dicta Ἰόπη, quam tamen vulgò geminata consonante *Ioppen* appellamus. Manilium quoque loqui de accolis maris *Ionij*, non verò de ciuitatibus *Ionum* Asiaticis probabilius est.

Ioniæ quoque sunt vrbes, & Dorica rura,
Arcades antiqui, celebratáque Caria famâ, &c.

IORDANES Palæstinæ fluuius, penultimam passim, tam in carmine, quàm inter pronuntiandum producit. Sedulius adstipulantibus cæteris:

Sex quasi lustra gerens placidam Iordanis ad
vndam.

Tertulianus tamen siue Cyprianus, & ex Græcis Diuus Gregorius Nazianzenus bis eodem Iambico 17. penultimam corripuerunt : imitati sunt in Poëticâ Psalmorum metaphrasi etiam politis-

ſimi recentiores, fortè vt propiùs accederet ad *Iardanum* fluuium, cuius penultimam Homerus breuiauit, vt aliàs obſeruauimus.

IPHITVS Virgilio, Sophocli, & non ſemel Homero Odyſſeæ 21. penultimam corripit, idque poſtulant, quæ inde deriuata ſunt *Iphition* & *Iphitides*, at Iliados β'. v. 518. penultimam producit:

Υἱέες Ἰφίτου μεγαθύμου Ναυβολίδαο.

ITALVS, *ἰταλὸς*, Græcè *vitulus*, vnde dictos volunt *Italos*, primam corripit, quæ tamen in *Italia*, *Italides*, *Italicus*, imò & in *Italus* nonnumquam neceſſitate metri protrahitur.

Et ſæpe Heſperiam, ſæpe Itala regna vocare,
Virgilius. Vide S. Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 38.

Itea penultimam corripit, vt *Iton* apud Callimachum & Catullum. Homerus verò produxit Iliados β'. verſu 696. & ſanè rectiùs, ſi audire volumus Stephanum, qui docet à quibuſdam dici *Σιτῶνα διὰ τὸ σιτοφόρον. λέγεται καὶ ἡ Ἴτωνος ἀπὸ Ἰτώνου ἥρωος*, de quo Catullus videtur intelligendus de nuptiis Pelei & Thetidos v. 227.

Quod tibi ſi ſancti conceſſerit incola Itoni.

Ithyphallus vtramque priorem corripit apud Catullum, Columellam, Terentianum, Politianum, alióſque Latinos, quamquam accuratiùs videtur originem nominis ac proſodiam expreſſiſſe D. Nazianzenus:

Ἰθυφάλλους, κερόεντας, δυαύχενας, ἡμιδράκοντας.

IVBILO, *Iubilum*, *Iubilus*, primam producunt, quaſi ex *ἰοῦ βάλλω* auctore Feſto. Teſtes

accedant Silius & Calphurnius:

Et latus scopulis audiuit iubila pastor.

Non montana sacros distinguunt iubila versus.

Iubileus duas priores corripit apud Aratorem libro 2. in Acta Apostolorum : neque arguo, vt nonnulli; venit enim ea vox non à *Iubilo*, sed ab Hebræo *Iobel*, vnde & aliquibus rectiùs fortasse scribitur *Iobelaus*.

IVDAICVS Iuuenali, Claudiano, multísque aliis vtramque mediam corripit : at Alcimus, Prudentius, & nonnulli, vt patet ex correctis Vrbani octaui iussu Breuiarij Romani Hymnis, secundam producunt, quod damnare non ausim. Nam prætérquam quod idem Alcimus, aliíque secundam similiter protrahunt in *Hebraïcus* & *Chaldaïcus*, obseruaui Terentianum Poëtam haud dubiè Classicum secundam in *Trochaïcus*, *Spondaïcus* & similibus semper intendere. Atque hoc dictum esto in gratiam nouæ emendationis, quam eo nomine quidam carpere non verentur.

XIII. DISSERTATIO.

Labarum, Labici, Labrax, Ladanum, Laertes, Læstrygones, Laocoon, Lares, Lara, Larius, Latomus, Latumiæ, Latro, Lautia.

LABARVM, cuius penultimam Prudentius corripuit libro primo aduersùs Symmachum versu 489.

Christus purpureum gemmanti textus in auro,

Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Græcis dicitur non tantùm λάβαρον, quod ab Eusebio libro primo de vita Constantini, cap. 22. accurratè depingitur, sed etiam λάβωρον Sozomeno, tum libro primo Hist. Eccles. capite 4. μετασκευάσαι τὸ παρὰ ῥωμαίοις καλούμενον λάβωρον, σημεῖον δὲ τοῦτο πολεμικὸν τῶν ἄλλων τιμιώτερον, tum libro 9. cap. 4. vbi alterum imperij sceptrum appellat. S. quoque Gregorius Nazianzenus dictus Episcopus, oratione steliteuticâ primâ in Iulianum Apostatam, Latinæ huiusmodi originationi subscribit, dum καμάτων λυτήριον εἶναι καὶ κατὰ ῥωμαίους ὀνομάζεσθαι contendit. Idem quoque sensisse videtur Adhelmus de laudibus Virginitatis, *Præmisso Christi laboro tutus*. Sunt tamen qui cum Iusto Lipsio peregrinam vocem suspicentur sub Traiani æuum enatam: nec deerit, qui ex Hebræo verbo *Labar*, quod significat *descendere, demittere, deiicere*, propagatam argutetur. Quidquid sit, Prudentij auctoritas præualuit hactenus, nec vllus est etiam è doctioribus, qui penè vltimam non corripiat. Plura Baronius anno 312.

LABICI Italiæ populi, primam variare dicuntur, quæ tamen omnino corripienda, si quidem à λαβὴ, vt volunt, nomen hoc suam trahat originem.

Atque habiles ad aratra Labici,

Silius post Virgilium 7. Æneidos: at Martialis,

Labicana leui cespite velat humus.

LABRAX piscis à voracitate dictus, crementum corripit, neque enim sanus est Oppiani versus

quem

quem citat Smetius, ſed legendum:

Θύννον μὲν κορακῖνος ἄγει καὶ λάβρακα καρίς.

Hæc aliàs: at re meliùs poſtea perpensâ cenſeo apud Græcos aliquando produci: Teſtis præter Eriphum, alióſque apud Athenæum, Archeſtratus Helluonum, vt aiebat ille, Heſiodus.

Κεστρέα τὸν κεφαλὸν, καὶ τὸν θεόπαιδα λάβρακα.

LADANVM ſuccus τοῦ λήδου, herbæ Cypriæ primam producit.

Ἄλλο δέ που κατὰ γαῖαν Ἐρεμβῶν λήδανον εὕροις,

Rufus apud Galenum. Marcellus tamen & Auienus, aliíque à Smetio, Kirchnero, ſimilibúſque citati, primam imperitè corripuerunt.

LAERTES pater Vlyſſis, vox eſt triſyllaba:

Vim Laërtiadæ, breuitatem vincis Atridæ.

Lucanus in carmine ad Piſones: Damnarani aliàs Auſonium ſic canentem,

Captus pellacis Lartiadæ inſidiis.

Sed cum excuſat Sophocles ipſo Aiacis Maſtigophori initio:

Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ Λαρτίου δέδορκά σε.

LÆSTRYGON Horatio, Ouidio, Iuuenali, Tibullo, aliíſque penultimam producit.

Θυγατέρ' ἰφθίμῃ Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο.

Odyſſ. 10.

Littora Caietæ, Læſtrygoniόſque receſſus,

Silius, à quibus immeritò defecit Sidonius, quem citat, nec arguit Smetius.

Læſtrygones nos eſſe puta, monſtrúmque tributum.

LAOCOON, *Laodamas*, *Laodice*, *Laomedon*, *Laodamia*, *Laodicea*, & ſimilia à λαὸς orta, primam producunt abſque vllâ inter eruditos con-

Sſ

trouersiâ. Quare merito iure notandus Valerij Flacci versus libro primo Argonauticon, vbi vulgò *Laodocus* legitur, quem sic emendarunt alij:

Nititur hinc Talaus, fratrésque Leodocus vrget.

Λεωδόκος equidem versui congruit, non Λαοδόκος. Econtra *Lageos*, *lagobolum*, *lagois*, & si quæ alia à λαγῶς seu λαγωὸς *lepus*, primam corripere debent:

Ἁρπάζων ἢ ἄρν' ἀμαλὸν, ἢ πτῶκα λαγωόν,

Iliados. 22. Et alibi pluries. Malè ergo Martialis primam in *Lagopus* produxit: ea enim auis sit dicta est, quòd pedes veluti leporino villo munitos habeat:

Si meus auritâ gaudet lagopode Flaccus.

LARES & *Lara* apud Ouidium, aliósque primâ breui:

Sub Lare priuato tutius esse putant.

Forte fuit Laïs Lara nomine, prima sed illi,
Fastorum libro secundo. Vnde iure miramur Ausonij versum in monosyllabis:

Nec genius domuum Larundâ progenitus Lar.

Laridum quoque primam corripiet, si quæ fides Lucilij versui à Smetio, Kirchnero, aliisque in medium producto, sed legendum esse *lardum* extrita vocali media, vt habet quoque Ouidius libro sexto Fastorum, & Horatius in Epist. Adde Plauti, aliorúmque Comicos versus, ex quibus colligere est primam in *larido* produci.

LARIVS, Comensis in Galliâ Cisalpinâ lacus, num à latis seu fulicis, vt quidam volunt? at reclamat prosodia. Existimarim potiùs dictum ἀπὸ τῦ λαρῦ, id est ab amœnitate: saltem fauet huic coniecturæ quantitas syllabica, si tamen vsque

ex intima Græcia Italicis vocibus quærenda ſint etyma, quod in pleriſque abſurdiſſimum autumo.

Comi mœnia, Lariúmque littus,

Catullus, vt omittam Virgilium, Claudianum, cæteróſque.

LATOMVS, id eſt lapícida, & *Latomia* ſiue *Latumia*, primam producunt, nec ex Plauto, quem ad nauſeam vſque citat Smetius, quidquam colligi poteſt, quod ſatis faciat, adeamus ergo fontes. Q. Calaber:

Μήτι ὑποσμήχουσιν ἐν οὔρεσι λατόμοι ἄνδρες.

Ἡ ποίου σε μύλου κόψαντο λατυμίων, in *Anthologiâ.*

Neque omittendum ſecundam in *λατίδης* apud Græcos, adeóque Homerum ipſum corripi, quos imitatus eſt Auſonius in epigrammate quodam, quamquam *Latous*, *Latois*, *Latonius*, *Latonis*, *Latoius*, & ſimilia primam ſemper ac ſecundam producant.

LATRO, non tantùm nomen, ſed etiam verbum, primam variat: vnde *allatro*, *oblatro* proferenda ſunt penultimâ breui, contrà quàm Auctor Theſauri linguæ Latinæ, Calepini conſarcinatores, aliíque vulgares Grammatici edixerint. Phœdrus Auguſti Libertus extremâ Fabulâ libri quinti, verſum Iambicum hoc participio claudit:

Canem obiurgabat, at canis contra latrans.

Cui ergo verſui adderem quoque libens ſenarium Prudentij in Romano, quem elegantiſſimus Giſanius ex tribus veteribus libris ſic reſtituit pro oblacteraret:

Nil in Deorum oblatraret dedecus, niſi ecthlipſis

τῦ μ non seruata scrupulum iniiceret, quam tamen licentiam idem Obertus aliis Prudentij locis ex veterum, vt ait, codicum fide appingere non veretur. Neque desunt alij Ecclesiastici grauésque scriptores, qui Phædrum imitati sint, vt discant eruditi Critici non vni innixam Phædro, quem ad posteriora deiicere volunt tempora, nostram esse sententiam.

Sed clausam vacuo pulsant impunè latratu,
Alcimus.

Os nigrum telis grauidam circumlatrat ingens,
Sidonius.

Circumlatratur ipse pontus maximus,
Festus Auienus.

Explorare iuuat ventrémque explere latrantem,
Victor.

Obmurmurabit, oblatrabit, vrgebit,
Iulius Scaliger, cui succinit & alius pereruditus recentior,

Credatur, quoties canis allatrat, esse satelles.

LAVTIA munera, seu xenia quæ legatis exterarum nationum hospitij gratiâ dabantur, penultimam videntur corripere, olim *Daucia* dicta, vt auctor est Festus: cùm enim alienum sit à Latinæ linguæ vsu vocalem ante vocalem in Latinis vocibus producere, & Græci scriptores, atque inter cæteros Plutarchus in scribendis Græcè Latinis vocabulis plerumque aberrent, satiùs videtur corripere vocem quam doctissimi viri à *lautus* deriuant. Liuius lib. 10. Decadis 3. *loca lautia legatis decreta*, & post eum Apuleius, Symmachus, Sidonius, aliíque. In Plutarchi Problematis legendum λαύπα.

XIV. DISSERTATIO.

Learchus, Lemures, Locusta, Logium, Luscinia, Lychnites, Lysander, Lysippus, Lysimachia.

LEARCHVS Melicertæ frater, *Leodocus, Leodamas, Leochares, Leostratus, λεωφόρος*, & alia orta à nomine Attico *λεὼς populus*, primam corripiunt. Ouidius:

Mœsta Learcheas mater tumulauerat vmbras.

At *Leander*, non à λαὸς, aut λεὼς descendit, sed compositum arbitror ex λεῖος ἀνὴρ, vt sit *leuis* atque *imberbis adolescens*. Primò enim illum Λείανδρον vocat Antipater in epigrammate de Sesto & Abydo, & Musæus Erotopægnij versu 220. & sæpè alibi, vt cæteros Græcos omittam. Deinde Poëtæ Latini omnes, quos legerim hactenus, ὁμοθυμαδὸν primam producunt, Ouidius bis in epistolâ Herus ad Leandrum, & alibi semper, Martialis quater aut quinquies, Silius libro sexto, similésque probatissimi. Quòd si Musæus eodem carmine primam corripuit, hoc Poëticæ Græcorum licentiæ dandum norunt eruditi. *Lecania* nomen proprium Martiali duas priores producit, quas corripiunt *λεκάνη peluis*, *lecanomanticus*. Aristophanes:

Κἀνθ' λεκάνιον δὸς λαγῴων, δὸς κρεῶν:

LEMVRES priores corripiunt Ouidio, apud quem *Lemuria* eodem libro quinto Fastorum se-

S s iij

cundam protrahunt, quod contra originem factum metri necessitate interpretantur vulgares Grammatici. Verùm à Remo, non Lemuribus dicta illa sacra insinuat Ouidius dum canit ibidem,

Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.

Leucosia insula Tyrrheni maris. Lycophron in Alexandrâ:

Λευκωσία ῥιφεῖσα· τὴν ἐπώνυμον.

Videndus quoque Stephanus in v. Σειρηνοῦσαι. At Silius Italicus corripuit secundam libro octauo belli Punici, nisi legas cum Antonio Delrione nostro, *Leucasia è scopulis*, &c. *Leui*, *Leuita*, *Leuitides*, & similia primam quæ diphthongo constat, producunt apud Græcos Latinósque Poëtas: scio tamen Scaligerum, Fabritium, aliósque posterioris æui vates eamdem non semel corripuisse. Tu sequere antiquos. Eadem est ratio nominis *leuir*, vt patet ex hoc Senecæ Anapæstico in Octauiâ, versu 877.

Tu quoque leuir simili fato.

LOCVSTA insectum & piscis, primam corripit apud Alcimum, Iuuencum, Prudentium, Sedulium, Mantuanum, alios: quam *Locusta* venefica apud Iuuenalem producit. Gulonius, Aluares, aliique Prosodiographi indiscriminatim variandam putant, propter vnius, ni fallor, Iuuenci auctoritatem, qui in eadem Euangel. Harmonia sic canit:

Mandere locustas solitus ruralibus agris.

Hunc verò non optimum ducem minùs circumspectè sequutus est Iulius Scaliger, & nonnulli alij recentiores Poëtæ.

LOGIVM cùm pectorale gemmatum seu rationale summi Iudæorum Pontificis significat, penultimam protrahit, λογεῖον Græcè; quam corripit λόγιον oraculum, responsum, aut sacræ Scripturæ testimonium. Vide pluribus Suidam, & quæ ex eo aliisque de logeo, cùm pulpitum in theatris, aut in Iudicum tribunalibus suggestum significat, magno studio congessit Bernardinus Baldus Guastallæ Abbas, libro de significatione verborum Vitruuianorum.

LVSCINIA seu *Luscinium*, medias corripit apud antiquos. Ex multis eligo Phædrum, Martialem, Horatium:

Tibi forma, vires aquilæ, luscinia melos.
Luscinia tumulum si Thelesina dedit.
Luscinias soliti impenso sorbere coëmptas.

Etymon præterea fauet: dictam enim arbitror, quòd vel in lucis, vel prima statim luce canere soleat, quasi *Lucinia*: sic *luscos* & *lusciosos* interiecto sigmate à *luce* nominari decernunt viri doctissimi, & Luscinos seu *Lucinos* dictos, qui aliquo oculorum vitio laborarent.

LYCHNITES, *Lychnitis*, *lychnuchus*, penultimam producunt, primam verò variant quemadmodum *lychnus* teste Aristophane in hoc Iambico:

Ἔλαιον ἡμῖν οὐκ ἔνεστ' ἐν λύχνῳ.

LYSIPPVS & Lysander primam, sin minùs naturâ & origine, saltem auctoritate atque vsu Poëtarum producunt. De *Lysandro* fidem facit Homerus Illiados λ. versu 491.

Οὖτα δ' Λύσανδρον, καὶ Πύρασον, ἠδὲ Πυλάρτην.

De *Lysippo* Propertius, Horatius, Martialis,

Statius, & Græci Anthologiæ libro quarto non ſemel:

Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna, &c.

Cætera quippe deriuata à λύσις ſeu λύεσθαι primam ſemper corripiunt, vt patet in *Lyſias*, *Lyſius*, *Lyſiſtratus*, *Lyſicrates*, &c. Niſi metrica neceſſitas ob tres quatuorve continentèr breues aliud nonnumquam ſuadeat. Quod enim tentatum à Græcis fuit in λυσιμελής, λυσίπονος, &c. illud idem in *Lyſimachus*, *Lyſidice*, *Lyſianax*, *Lyſiades*, *Lyſinoe*, *Lyſanias* vſurpari poſſe non ambigo. Antipater:

Λυσιδίκα γλυπτὸν τόνδ᾽ ἐχάραξε νόον.

De *Lyſimachiâ* vrbe ſeu Thraciæ Cherſoneſi ſeu Ætoliæ maxima apud eruditos contentio, an per diphthongum aut ſolam vocalem penultima ſcribi debeat. Illi à *Lyſimacho* dictam volunt, ſcribúntque Λυσιμάχειαν, adſtipulantibus Suidâ & Stephano, cuius hæc ſunt verba: Λυσιμάχεια πόλις τῆς ἐν Θρᾴκῃ χερρονήσου, ἡ πρότερον καρδία. Hi ab euentu dictam contendunt Λυσιμαχίαν, quia illic finita ſit pugna, ſiue Deorum contra Gigantes, ſiue Ducum aliorum; ἀπὸ τοῦ λύεσθαι τὴν μάχην: Et ſanè *Lyſimachiam* penultimâ breui leges apud Strabonem lib. 10. Ptolemæum, Pauſaniam, &c. vnde & modò frequentiùs corripi ſolet ab eruditis. *Lyſimachia* herba, quàm Dioſcorides λυσιμάχιον, Heſychius λυσιμάχιον βοτάνην appellant, eandem peperit litem. Satiùs tamen opinione meâ fuerit penultimam corripere, ſiue ab inuentore *Lyſimacho*, ſeu potiùs, quod innuit Plinius, ab occultâ vi, quâ *iugo impoſita iumentorum aſperitatem*

tem cohibet, nomen illud ſortita ſit: quæ omnem ex animis ſcrupulum videntur euellere.

XV. DISSERTATIO.

Macedo, Magdolus, Maiumas, Mammonas, Mantinea, Maria, Margarita, Martichora, ſeu Manticora.

MACEDO, *Macedonia*, *Macedonicus* priores omnes corripiunt, Claudianus:

Inde tibi Macedûm tellus, & mœnia Pellæ.

Dicuntur etiam *Macetæ*, vt docet pluribus Stephanus: vnde Auſonius,

Et vos ite pares, Macetúmque attollite nomen.

Mimnermus apud Athenæum libro 13. Dipnoſoph. & Dionyſius non ſemel, aliíque ſecundam produxerunt in deriuatis, mutatâ vocali breui in longam, quos imitatus eſt Ouidius 12. Metamorphoſeon verſu 165.

Ἀλλὰ Μακηδονίης πάσας κατενίσατο λαύρας.

Qui clypeo, gladióque, Macedoniáque ſariſſâ.

Neque verò tolerandus Arator, qui libro ſecundo Actuum Apoſtolicorum ſic cecinit:

Fœcundo ieiuna ſolo, vir quippe Macedo.

Veſcitur eſuriens Macedonia, pérque ſoporis.

MAGDOLVS penultimam producit apud Græcos, quam *Magdalum* & *Magdalis*, corripere ſolent: ſic Nonnus in Metaphraſi Poëtica Euangelij S. Ioannis,

Μαγδαληνὴ Μαρίη φιλοδάκρυος ἐγγύθι τύμβου.

Meritóque displicet versus iste Hieronymi Vidæ libro primo Christiados:

Magdali dictam de nomine Magdalenam.

De pronunciatione vide pag. 250. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris. *Magia* incantatio penultimam producit, quam corripit *Magia* vrbs Illyrici; de quâ consulendus Stephanus.

MAIVMAS, Græcis μαιωμᾶς, festum in honorem Veneris, seu Maiæ potiùs, Maio mense celebrari solitum, & tandem ob lasciuiam legibus sublatum, penultimam corripere videtur: vox enim Latina censetur eruditis, quamquam nullius modò Poëtæ testimonium occurrat in alterutram partem. Est etiam Palæstinæ ciuitas Μαιουμᾶ nuncupata, cuius Episcopus fuit inter cæteros nominatissimus ille sancti Damasceni æqualis ac condiscipulus Cosmas, de quo plura Simon Vvangnereckius noster in doctissimis Prolegomenis ad Marianam Græcorum Pietatem, num. 23. Huius ego ciuitatis penultimam, tum ob alia, tum ad discrimen festi mox explicati libentiùs produxerim. De *Maiolo* diximus in Censura Prosodica post Appendices ad Eruditæ Pronunciationis Catholicos Indices pag. 278.

MAMMONAS μαμμωνᾶς, vox Syriaca, necnon Punica, quâ Euangelici codices fictitium diuitiarum Deum Plutonem, seu nimium diuitiarum aurique amorem significant, penultimam protrahit, vt cætera similiter in ωνᾶς desinentia. In quo, eiusque deriuato *Mammoneus*, grauiter sanè peccarunt cum suo Prudentio Smetius, Kirchnerus, aliique; præcipuè verò qui puerorum manibus

teritur Niniuita Despauterius, quem egregiè castigauit Emanuel Aluares in Grammaticis Institutionibus.

MANTINEA vrbs Græciæ, Iliados 2. versu 607. penultimam corripit, sed metricâ necessitate, extritâ è diphthongo subiunctiuâ vocali; nam apud Stephanum, Suidam, Strabonem, Historicósque Græcos Μαντίνεια scribitur. Rectè ergo sanximus aliàs attollendam semper esse in pronuntiando penultimam.

MARGARITA, seu *Margaritum*, Græcis ὁ μαργαρίτης, vel τὸ μάργαρον, secundam corripit penultimâ productâ, vt etiam *Margarita*, seu *Margaretha* N. P.

Nunc percandida margarita quæro,

Cilnius Mecœnas: sic Valgius in Epigrammate apud Charisium: *Si irrugosa rotunda margarita:* sic enim legendum arbitror, non *sint*, aut *si tu*. His addo Arbitrum & Phædrum:

Quo margarita cara tibi bacca Indica.

Dum quærit escam margaritum perdidit.

Iam iam silebo margaritas spargere,

Prudentius: qui tamen in Psychomachia, & post eum Arator libro 2. nonnullíque alij tres priores producunt; nec feliciùs S. Nazianzenus penultimam corripuit, quem imitatus est Mantuanus.

MARIA Deiparæ Virginis augustissimum nomen, penultimam passim inter pronuntiandum attollit, quâ de re plura hîc non adiiciam iis, quæ disputat eruditus sacræ Scripturæ Lector pag. 227. in Appendice ad regulam 15. Hoc vnum dum-

taxat monebo apud Nonnum, Nazianzenum, cæteróſque Græcos alicuius nominis numquam mihi penultimam in Μαρίη vel Μαριάμ, productam occurriſſe.

MARTICHORA, vel *Manticora* per omicron ſcribitur apud Cteſiam in Excerptis Photianis, Ælianum lib. 4. cap. 21. Pauſaniam in Bœoticis (vt obſeruauit in notis Fridericus Sylburgius) quibus haud dubiè adhæſit Calphurnius hoc verſu:

Manticoram ſiluis etiam quibus editur alce.

Ariſtoteles autem, Plinius, aliíque longè plures, quos Lexica dabunt, *manticoram* appellant, & omega penultimæ adſcribunt, quos equidem ſaltem inter pronunciandum ſemper imitandos cenſeo.

XVI. DISSERTATIO.

Martyrium, Matrimus & patrimus, Michaël, Mina, Minæ, Mino, Mopſueſtia, Moſa, Moſes, Moſyni, Mulier, Muſimon.

MARTYRIVM penultimam breuiare, in quacumque ſumatur ſignificatione, prolixâ diſſertatione docuimus aliàs in Appendice ad Catholicos Indices, quam vel obiter percurriſſe fortè non pigebit. Eſt autem huiuſmodi.

Martyrium ſiue cædem Martyris, obitamque pro Chriſto glorioſam mortem, ſiue teſtimonium quodcumque, ſiue Arcam fœderis,

quâ Legis Moſaïcæ Tabulæ continebantur, ſiue Baſilicam aut templum, ſacellúmve dicatum Martyribus, ſiue locum vbi ſeruantur alicuius Martyris reliquiæ, ſignificet, penultimam ſemper corripit. quod quia negant pertinaciùs nonnulli in Græcorum librorum lectione haud ſatis ſtudioſè verſati, id modò pluribus firmandum documentis ſuſcipio.

Concilium Laodicenum canone nono, μὴ συγχωρεῖν εἰς τὰ λεγόμενα μαρτύρια. vbi Zonaras τοὺς οἴκους ἐν οἷς τὰ ἐκείνων ἐτέθαπτο σώματα, μαρτύρια ἔλεγον. *Ædes in quibus Martyrum ſepulta erant corpora, martyria appellarunt.* Similiter actione quartâ Concilij Calchedonenſis, ἐν τῷ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας. In Theſauro Henrici Stephani mendosè citatur canon ſextus eiuſdem Concilij Calchedonenſis; nam in octauo dumtaxat memorantur, οἱ Κληρικοὶ τῶν μαρτυρίων, id eſt, vt explicat Zonaras, τῶν ἐπ' ὀνόματι μαρτύρων οἰκοδομηθέντων ναῶν. *Clerici templorum in honorem Martyrum conſtructorum, eorúmque nomina praeferentium.*

Idem occurrit in Actis Concilij Epheſini, τὰ τε ἅγια μαρτύρια καὶ τὸ ἅγιον Ἀποστόλιον ἀπέκλεισε, apud ſanctum Chryſoſtomum ſermone de Aſcenſione, Athanaſium de paſſione Imaginis Dei, alióſque Græcos Patres frequentiſſimè. Ad Hiſtoricos Grammaticóſque veniamus. Euſebius libro tertio de vitâ Magni Conſtantini capite 47. τὴν πόλιν *à ſe recens extructam ad Boſphorum Thracium, ſuóque decoratam nomine* εὐκτηρίοις πλείοσιν ἐφαίδρυνε, μαρτυρίοις τε μεγίστοις καὶ περιφανεστάτοις. Sozomenus libri

ſecundi capite 26. ἐξεργασθέντος τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼ περὶ τὸν Κρανίου χῶρον, ὃ μέγα μαρτύριον προσαγορεύεται. Accedat Socrates libro quarto cap. 18. vbi de Edeſſeno templo ſancti Thomæ Apoſtoli, vt omittam Theodorum Anagnoſten eclogâ ſecundâ, Menologium, alióſque rituales Græcorum libros: & ex Latinis Hieronymum in Chronico, Concilium Carthaginenſe primum, Vvalafridum Strabonem, Flodoardum, Concilia Galliæ, &c. in quibus vox iſta Martyrium pro templo ſeu æde ſacrâ occurrit.

Vbi ergo docti illi viri ſuum μαρτυρεῖον penultimâ productâ fabricati ſunt? nam nec apud Heſychium, Suidam, Phauorinum, aut Henricum Stephanum reperient, nec in canonibus Conciliorum, Patrum, Hiſtoricorúmque probatis monimentis. Fateor quidem à Sozomeno lib. 8. cap. 17. ἀποστολεῖον vocari Eccleſiam à Rufino in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructam in ſuburbio Calchedonis, & in Menologio atque Eclogis Theodori Lectoris προφητεῖον de baſilica ſanctorum Samuelis ac Ioannis Baptiſtæ, vt pluribus Bulengerus, Meurſius, aliíque linguæ Græcæ & politioris literaturæ conſulti: ſed quid inde præſidij aduersùs tantam teſtium nubem à nobis in medium productorum?

MATRIMVS & *patrimus* recentiorum quorumdam auctoritate producuntur à multis, licèt Iulius Cæſar Scaliger cap. 95. de Cauſis Linguæ Latinæ, & Angelus Politianus cap. 58. Miſcellaneorum, corripiendam hancce penultimam ſat apertè docuerint: Ioſephus Scaliger Iulij F. &

post eum Becmanus, alij, recentatum Catulli versum obtrudunt ex primo Epigrammate:

Quare habe tibi quidquid hoc libelli est,
Qualecumque; quod, ô patrima virgo,
Plus vno maneat perenne saeclo.

Verùm *patrona* ex veteribus editionibus reponit eruditissimus Vossius libro secundo de arte Grammaticâ cap. 23. ac figmentum illud Scaligerianum validissimis retundit argumentis. Ipse quod mox didici, productioni nihilo seciùs adhaerescit, hâc nixus ratione, quòd quando *timus* vocis productio est, corripiatur penultima, vt in *legitimus* à lege, *finitimus* à fine, *solistimus* à solo, *aeditimus* ab aede: quando autem posterior tantum syllaba producit vocem, tum I antecedens, fit correctum, vt in *primus* à prae vel pris, *bimus* à bis, *trimus, quadrimus, quimus*, ita & *patrimus* & *matrimus* à patre & matre. Verùm quid si olim *patritimus* & *matritimus*, ex quibus per syncopem postea *patrimus*, & *matrimus*; vt ex citerrimus *citimus*, & *melior* ex mauelior. Quid si potiùs dicamus, quae certam originem ab aliquo nomine habent corripi, quae verò incertam, aut ab *anno* ducta sunt, produci. Ad haec vnde quaeso *quadrimus* & *quimus*? Quare perpensis ritè omnibus, concludo veterem correptionis sententiam mihi non videri deserendam.

MICHAEL, *Raphaël*, Israël, *Iesraël*, & similia Hebraïca nominà in *aël* desinentia penultimam vulgò corripiunt: itáque Drepanius, Prudentius, Fortunatus, Paulinus, ac ex recentioribus Poëtis quamplurimi, quibus succinit hym-

nodia Ecclesiæ etiam nudiustertius, Pontificio iussu emendata. At Despauterius pag. 382. cum Nebrissensi quem laudat, & quidam alij existimant penultimam illam producendam esse, non solùm ob auctoritatem Prudentij, Sedulij, Paulini, Fortunati, similiúmque sacrorum Poëtarum, sed maximè propter quendam versum Valerij Flacci libro 6. Argon. in quo, pro *Miceli* seu *Micelæ*, qui populi sunt, vt rectè emendauit Ludouicus Carrio, legebatur olim:

Hic & odoratus flagranti crine Michaël.

Cùm legendum sit, vt habent modò correcti codices:

Hic & odorato spirantes crine Micelæ.

Methone vrbs Thraciæ vtrámque priorem producit Iliados β'. v. 716. *Methone* autem Peloponnesiaca, & si credimus Stephano, etiam Thracica, primam corripit: ἀπὸ τοῦ μέθυ, πολύοινος γὰρ, ὠκλήθη.

MINA, *minæ*, *minax*, *minor*, primam breuiant, quemadmodum & *mino*, *minas*, quâ voce vsi sunt præter Vulgatum Bibliorum Interpretem, Festus, Apuleius, Hieronymus, alij. Vide Vinetum ad Ausonij 66. Epigramma:

Suam relinquens me minabat vt suam.

Aluares in Compendio docet produci; sed vnde id hauserit, fateor mihi non liquere.

MOPSVESTIA vrbs Ciliciæ, à quâ oriundi Theodorus ille Nestorij præceptor, & Heraclides Grammaticus, penultimam corripit, Græcè Μοψουεστία, vel diuisim, vt habent Strabo & Stephanus Μόψου ἑστία, & Mopsi forum seu domicilium

ædémque

ædémque significat. At *Mopseates*, *Mopsueste-nus* & *Mopsucrene* penultimam producunt.

Morus. Vide Sycomorus.

MOSA fluuius Belgicæ, & vir quidam apud Silium Italicum, vt & *Mosella* alter eiusdem Belgicæ fluuius Ausonio celebratus, primam corripiunt. Certè Ptolomæus Μόσαν vocat. Sidonius rectè:

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona,
Sequana, Ledus.

Corniger externas celebrande Mosella per oras:

Ausonius in bene longo atque eleganti Poëmate. Summus tamen nostri temporis Poëta R. P. Henricus Auberius Ludouici XIII. encomium sic claudit:

Mosa, Mosella, Padus, Rhenus, tua vincula
portant:
Oceanúsque suas pronus tibi subiicit vndas.

At *Moses* seu *Moyses*, Straboni Μωσῆς, Suidæ Μωϋσῆς, aliísque qui Iosephum sequuti, ab Ægyptio Μῶυ id est, *aqua*, nomen illud deriuant, primam producit Iuuenalis satyrâ 14. v. 102.

Tradidit arcano quæcumque volumine Moses:
Moseis manibus summo sublatus honore est:

Iuuencus. Vnde corrigas velim cum Sedulio nonnullos, qui primâ huius nominis correptâ alteram extendunt:

Quidquod & Heliam & clarum videre Moysen:

MOSYNI populi dicuntur à Tibullo, qui à Strabone & Eustathio Μοσύνοικοι; ab Apollonio Rhodio Μοσσύνοικοι, à Dionysio Afro versu 766. τῆς παραγήσιως, οἳ μόσσυνας ἔχουσι δουρατίους, *qui li-*

gneas turres seu casas incolunt. De his præterea consule Orpheum, Artemidorum, Diodorum, Plinium, aliósque recentiores: secundam vbique protrahunt:

Quaque Hebrus, Tanaïsque Getas rigat, atque Mosynos.

Mossynœci, vos & stabulis Macrones ab altis: Sic enim legendum in Valerio Flacco, non *Mossynichi vos & stabulis*, vt habet Lambertus Danæus in sua Geographia Poëtica; expressit enim Latinè hunc Apollonij versum:

Τῇ δ' ἔπι Μοσσυνοικοι ὁμουρέοι ὑλήεσσαν,

vbi Poëtico more geminauit sigma, μόσυν quippe in soluta oratione scribendum est, non μόσσυν, quod miror Henricum Stephanum latuisse.

MVSIMON, seu *Musmon*, Musino aut Musinon, quid sit, non tam facilè explices, nec quam in obliquis casibus quantitatem seruare debeat, adeò variant veterum iudicia.

Strabo lib. 5. Geographiæ, de Sardinia loquens hæc habet pag. 156. editionis Casaubonianæ Geneu. γίγονται δὲ ἐνταῦθα οἱ τρίχα φύοντες αἰγείαν, ἀντ' ἐρέας, κριοὶ, καλούμενοι δὲ μούσμονες, ὧν ταῖς δοραῖς θωρακίζονται. *Nascuntur ibi arietes, qui lanæ loco pilum ferunt caprinum, musmones appellati, quorum pellibus thoracum*, vel vt alij vertunt, *loricarum loco vtuntur.* Turnebus Aduers. lib. 20. cap. 9. Robertus Constantinus, aliíque passim μούσμονες penultimâ breui legunt: vnde corrigas Claudium Dausqueium in Orthographicis lib. 2. pag. 205. qui μούσμωνες apud Strabonem legit, contra codicum omnium, quos hactenus viderim, auctoritatem.

Plinius libro 8. naturalis Hiſtoriæ capite 49. *Eſt & in Hiſpania, ſed maximè Corſica, non maximè abſimile pecori genus muſmunum* (alij rectiùs, ni fallor, muſmonum aut muſimonum) *caprino villo quàm pecoris velleri propius: quorum è genere & ouibus natos, priſci vmbros vocauerunt: infirmiſſimum pecori caput, quamobrem auerſum à ſole cogi paſcendum.*

Nonius Marcellus cap. 2. num. 530. Muſimones, aſini, muli, aut equi breues. Lucilius libro 6. *Pretium emit, qui vendit equum muſimonem.* Cato Deletorio (vel de Lætorio) *Aſinum* aut *Muſimonem* aut *arietem*.

Iſidorus Hiſpalenſis libro 12. Etymolog. cap. 1. extremo: *In animalibus bigenera dicuntur, quæ ex diuerſis naſcuntur, vt mulus ex equa & aſino, hybrida ex capris & porcis, tityrus ex oue & hirco, muſino ex capra & ariete. Eſt autem dux gregis.*

Euantius, ſiue vt alij rectiùs, Eugenius Toletanus Antiſtes, de ambigenis inter vetera Epigrammata collecta à P. Pithœo pag. 154.

Muſinonem capra ex veruegno ſemine gignit.

Ex his verò omnibus videas contrà ſententiam Claudij Dauſqueij emendatiùs loqui, qui crementum nominum illorum corripiunt; & corrigenda haud dubiè illa Lexica ac vocabularia Papiæ & aliorum, quæ μουσμών μουσμῶνος habent: vel muſinon μούσινον, ου, vel Muſcinonem ſcribunt. Iſta enim longiùs recedunt à veterum ſcriptorum normâ, cui in omnibus quantum fieri poteſt, conſentire debemus. In editione Eugenij Poëmatum opera Sirmondi τοῦ μακαρίτου legitur quidem:

Musmonem capra verneno semine gignit.
Sed anteponendam arbitror Pithœanam lectionem, vel ex eo maximè quòd Eugenium ex Isidoro Hispalensi mutuatum esse quæ de bigeneribus seu ambigenis cecinit, par sit omnino credere.

XVII. DISSERTATIO.

Nacole & Nacolia, Nereis, Nerio seu Neriene, Nesis, Ninus, Niniue, Numitor, Numicius, Noema & Noëmi.

DE NACOLE & *Nacolia* vrbe Asiæ dissident Suidas & Stephanus : quam enim hic Νακόλην & Νακολίας vocat, ille Νακωλὴν & Νακώλειας scribit. Suidæ adhærendum puto, quem tu quoque lege in v. Σπύδιος, & Stephanum in Ἀζαναί. Idem Stephanus penultimam corripit in *Nacones & Alcones*. Aduerte autem hîc obiter *Nereis* apud Ouidium ac Latinos variare penultimam, quia scribitur Græcè Νηρηΐς, & per systolem Poëtis familiarem Νηρεΐς, & in plurali Νηρηΐδες, vel Νηρεΐδες, vel Νηρῇδες. At verò *Nerio* Martis vxor, Græcè Νειερίη, crementum cum duabus prioribus syllabis contrahit, non tantùm auctoritate Plauti, quæ in dubium reuocari posset,

Mauors salutat Nerienem vxorem suam,

sed precipuè C. Licinij Imbricis in senariis :

Nolo ego Nearam te vocent, sed Nerienem,
Nam tu quidem es Marti in connubium data.

Neque versus Ennianus, quem contrariæ opina-

tionis patroni proferunt, multùm vrget, vt etiam me tacente ipſemet tamquam ſorex indicio ſe prodet ſuo:

Nerienes, & Minerua, Fortuna, & Ceres.

De Neſide Græcè Νησὶς, ſeu νησίον, id eſt *parua inſula*, ac νησὰς, non eſt quòd quicquam modò iis addam, quæ vulgauit pag. 633. Ianuæ Muſarum reſeratæ R. P. Ludouicus Caualli.

NINVS Aſſyriorum Imperator potentiſſimus, & *Ninos* ſiue *Ninus* vrbs ad Tigrim aliàs populoſiſſima, quæ in ſacra Scriptura *Niniue*, & in LXX. Interpretibus Νινευὶ dicitur, primam pro certo corripiunt.

Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας:

Vt habetur in ipſo Sardanapali epitaphio apud Clementem Alexandrinum Stromateo primo.

Ἐγὼ Νίνος πάλαι ποτ᾽ ἐγενόμην πνεῦμα:

Scazon Phœnicis Colophonij apud Athenæum libro 12. Dipnoſ. vbi ter prima *Nini* corripitur. Ex Latinis proferam Lucanum, Ouidium, Sidonium, & S. Paulinum.

Et felix, ſic fama, Ninos, ventoſa Damaſcus.
Conueniant ad Buſta Nini, lateántque ſub vmbrâ.
Non hic Aſſyriis Ninum priorem.
Flere Deo doceat fletu ſeruata Niniue.

Quòd verò Smetius Sidonium Apollinarem arguere tentarit nixus auctoritate Martialis, id imprudenter fecit, cùm iampridem Grammatici obſeruarint, non *Nini* legendum eſſe, ſed *Hini*:

Delicias Hini vos redolete nurus.

Numitor vox Latina eſt, crementúmque produ-

cit teste Ouidio libro quarto Fastorum:

Ilia cum Lauso de Numitore sati.

Plutarchus scribit Νομήτορος, vt hinc videas, quæ sit ei fides habenda in nominibus Latinis, quæ Græcè suo modulo descripsit: vt Νουμᾶς, Κονσουῦλες, Γένουα, &c. *Numicum* seu *Numicium* fluuium à *Numico* seu *Numicio* viro quodam, vnde *Numicij* via & *Numici* castella, quantitate discrepare docueramus in Elencho. Vide Poëtarum testimonia pag. 645. Ianuæ Musarum, & Smetium, Despauterium, aliósque argue qui non distinxerunt. *Noëma* & *Noëmi* à plerisque penultimâ elatâ pronunciantur, licèt in Græcis codicibus Geneseos & libri Ruth penultima scribatur per epsilon, vt monuimus pag. 252. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris, vbi etiam de *Niniue* nonnulla attigimus.

XVIII. DISSERTATIO.

Obedio, Ocyor, Oenotrij, Omphale, Orea, Oreta, Orion.

OBEDIO, ex *obaudio* factum, vt volunt celeberrimi Grammatici, secundam ἀναμφισβητήτως producit, quam inscitè corripuit Marius Victorinus libro primo in versu, qui à Smetio sine censurâ cæteris immixtus, imposuit quamplurimis, & litigandi occasionem præbuit. Rectè Ausonius in Ludo septem Sapientum:

Is me euocauit, venio dicto obediens,

Meo obſequar vt amori, obedibo tibi.
Afranius, cui Baptiſtam Mantuanum, Ioannem Claium, alióſque recentiores pronum eſſet adiungere. Vide Feſtum, Neſtorem, Deſpauterium Edit. Steph. pag. 312. ſimiléſque Grammaticæ artis peritos. At verò *obedo* ſecundam corripit, quam *obedi* & *obeſus* producunt.

OCYOR, *ocyus*, *ocyſſimus*, &c. è Græciâ in Latium venêre, primámque producunt penultimâ correptâ. De horum orthographia diſceptat Gifanius in Lucretium, vult enim per i Latinum ſcribenda eſſe, non obſtante à nomine ὠκὺς originatione Græcâ. *Sed non conſentio tenui iſti argumentationi*, ait Pareus in Lexico Plautino, *cùm ſua cuique linguæ conſtare debeat origo.* Certè nimis antiquarius in ſuo illo Indice videri voluit Obertus, aliàs eruditiſſimus. Voſſius de Analogia lib. 2. cap. 26. Oberti ſententiam non imbelli propugnat argumento: *ocior* & *ociſſimus*, inquit, ſunt ab ὠκὺς, cuius comparatiuus eſt ὠκίων per i; eáque ratio eſt, cur *ocius* & *ociſſimus* per i ſcribantur. Addit Becmanus *ocimum* ὤκιμον, quia ex Varrone & Plinio celeriter creſcat, vel quia celeriter aluum cieat.

OENOTRVS, à quo *Oenotri* ſeù *Oenotrij* Itali, *Oenotria* Italia, *Oenotrides* inſulæ, primam & ſecundam naturâ longam habent. Virgilius:

Hinc Italæ gentes, omníſque Oenotria tellus.

Προσεχῶς δ' ὁ πύτνις εἰσὶ πάλιν Οἰνώτριοι:

Marcianus Heracleota rectè, nam primo & tertio Æneidos legendum *Oenotri coluere viri*, non vt in vulgatis pleriſque editionibus, etiam cultiſ-

ſimis, *Oenotrij*, ſpondeo in primâ ſede, non dactylo, vt imperiti arbitrantur. Cæteris omiſſis vnus afferatur in medium Stephanus Byzantius: τὸ ἐθνικὸν Οἰνωτρὸς, ὡς Θετ]αλὸς καὶ Ιων, καὶ Κίλιξ.

OMPHALE, quidquid Deſpauterius pag. 499. Gulonius, ſimiléſque Grammatiſtæ contrarium edicant, penultimam corripit: κεῖνος δ' πραθεὶς Ομφάλῃ τῇ βαρβάρῳ, Sophocles ſæpiſſimè. Et certè ὀμφαλὸς, ὀμφάλιον, ὀμφαλοεις, & ſimilia, ſecundam breuiant apud Græcos. Quare aut Propertius Elegiâ vndecimâ libri tertij vltimam *Omphale* non eliſit, aut potiùs ſcripſit:

Omphalee in tantum formæ proceßit honorem.

OREÆ fræni, & *Oreos* vrbs, (cuius ciues *Oritæ*) ſolam ſecundam corripiunt, *Oreſtæ* etiam primam, Dionyſius Periegetes verſu 682.

Κερκέτιοί τε, Ορέται τε, καὶ ἀλκήεντες Αχαιοί,

vbi non vulgarem Auieni eiúſque exſcriptorum Proſodiographorum oſcitantiam animaduertas licet, qui neglecto Dionyſio ſomnia ſua incautis obtrudunt. Quo enim nomine appelles ſequentem verſum?

Atque Oretarum propter genus, indeque Achai.

Nec ſe illi Strabonis auctoritate munitos dicant, qui Ωρείτας pluribus locis commemorat; nam ij, de quibus agit Geographus, longè à noſtri Periegetæ *Oretis* abſunt. Hi enim ad Euxinum Pontum, illi propè Arbias & Ichthyophagos habitaſſe dicuntur, vt ipſe quoque Dionyſius fatetur verſu 1096. ſub finem eruditi Poëmatis.

ORION, Græcè Ωρίων, olim etiam Οὐρίων, ex quo detractâ ſubiunctiuâ vocali fit ὀρίων, quâ

vocc

voce imminutâ vſi ſunt ferè omnes Latini Poëtæ: neque enim apud Græcos memini me vnquam legiſſe. Virgilius:

Cùm ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion.

Secunda dicitur ab Ambroſio Calepino, vulgóque etiam creditur ſemper produci, quod falſum eſt apud Græcos, qui penultimam variant in κρονίων, βραχίων, & Ὠρίων, & fortè quibuſdam aliis, vt accuratè probauimus Parte Quartâ noſtæ Proſodiæ Græcæ pag. 69. in Tertia Deriuatorum ac Verbalium claſſe, quam percurriſſe iuuerit. Euripedes:

Τάν τ' ἄστρα, καὶ τὸν Ὠρίωνα δέρκομαι.
Μήτ' ἄστρα, μήτ' ἁμάξας,
Μὴ ξυγγὸν Ὠρίωνα.

Anacreon à nobis loco ſuperiùs indicato in medium producti. Quod ad crementum ſpectat, anceps illud eſt, licèt ſæpius producatur, atque adeò in proſa ſemper. Ouidius ter quaterve, Statius ſaltem ſemel, aliique nonnulli Latini (nam apud Græcos quòd ſciam nullus) corripuerunt.

Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Quorum ſi mediis Bœotum Oriona quæres.
Ὄν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν:

Homerus Iliados 18. quem imitatus Virgilius libro tertio Æneidos:

Armatúmque auro circumſpicit Oriona.

Ouidius propiùs ad veterem fabulam:

Hunc Hyreus, quia ſic genitus, vocat Vriona;
Perdidit antiquum littera prima ſonum.

Aduerte præterea *Oarion* quoque Latinis Græcíſque Poëtis Nicandro atque Catullo in vſu fuiſſe.

Βοιωτῷ πύχευσα κανὸν μόρον Ωαρίωνι.

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

Quid si coniecturæ aliquid dandum, & per metathesim factum sit ex Αορίων ἀπὸ τοῦ ἄορος, *ab ense illo decantatissimo*, certè omnia tunc quadrabunt pulcherimè. Verùm hisce obseruationibus, tricisque Etymologicis, quamquam vulgò parum cognitis, tandem aliquando finis esto.

XIX. DISSERTATIO.

Pachynus, Paones, Paon, Paan, Palatium, Palatinus, Pallaca, Pamphylia, Paphlagones, Papyrus.

PACHYNVS Siciliæ promontorium, apud Græcos variat penultimam. Dionysius versibus 86. & 469.

Εγκέχυται καὶ μέχρι πολυκλύστοιο Παχύνου.

Ακρα δέ οἱ, Πάχυνός τε, Πελωρίς τε, Λιλύβη τε.

Eandem quoque penultimam corripuit versu eiusdem operis 471. vnde colligas, quàm falsò Hyperaspistes Mantuani, Calepinus, ipséque Despauterius dixerint Priscianum nullo veterum exemplo Pachyni penultimam semel iterúmque corripuisse, si Latinorum addidissent, omnino rem acu, vt dicitur, attigissent. Quidam præterea asserunt primam similiter indifferentem esse ex quodam Ouidij versu 13. Metamorphoseon sub finem apud Smetium, Kirchnerum, aliósque fœdè luxato, quem leui vnius voculæ transmuta-

tione ſic priſtino nitori atque integritati reſtituendum puto, quam coniecturam meam confirmare nunc poſſum authoritate Codicis MS. non poſtremæ notæ:

E quibus imbriferos eſt verſa Pachynos ad Auſtros.

Non, vt habet Smetius, *verſa eſt Pachynus*, aut vt expreſſit Kirchnerus, *verſus Pachynus.*

PÆONES populi, à *Pæone* Epei fratre dicti, de quibus præter Geographos Homerus in Iliade ſæpè: *Pœonia* eorum regio, de qua Iliados 17. v. 350. & 21. v. 154. *Paonides* quidam Iliados 11. v. 339. & 368. medias omnes corripiunt. Ouidius libri 2. de Ponto Eleg. 2.

Adde triumphatos modò Paonas, adde quieti.

Idem vulgò ſentiunt omnes etiam doctiſſimi de *Paone* Medico inſigni, & de *Paone* pede quodam metrico, iiſque quæ inde emanant: ſed euincam profectò, contrà quàm ipſi opinantur, longè tutius eſſe crementum illius nominis producere. Ac primò, vt de metrico pede loquar, certum eſt ſemper produci. Terentianus Maurus in hoc ſcazonte rem oſtendit, ne ſemper ad Græcos prouocem:

Paona fieri perſpicis pedem in fine.

Secundò idem dicendum contendo de Παιών ſeu Παιαὶ, cùm *hymnum Apollineum* ſignificat: id enim præter alios docet Suidas, Παιῶνος τῦ ὕμνου, Παίωνος δὲ τῦ ἰατροῦ. Nec omittendus Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharnenſibus ſub finem.

Tertiò id quoque de *Medico* efficio iis argumentis. Suidas Παίωνας exponit ἰατροὺς καὶ ἀλαλαγμοὺς,

tum Παιώνειον ῥίζης φάρμακον, Παιώνειον ἰατρεῖον. Hesychius; Παιώνια, φάρμακα ἰατρικὰ, ἢ θεραπεῖαι. Pausanias cum Venere, Iaso & Panaceâ meminit cuiusdam Mineruæ Παιωνίας. Theophrastus herbam, quæ & γλυκισίδη dicitur cap. 9. libri 9. de Historia Plantarum, Παιωνίαν per omega vocat: Moschopulus, Παιήων ἀφ' οὗ Παιώνια φάρμακα. Vtque iis relictis ad Poëtas veniam, Solon vetustissimus Poëta & Legislator:

Ἄλλοι Παίωνος πολυφαρμάκου ἔργα ἔχοντες.

Ἀσκληπιοῦ Παιῶνος εὐμενοῦς τυχών,

Inquit Aristophanes in Pluto, cui duos versus ex Anthologiâ subiungo:

Χρυσὸς ἐρωτὸς ἀεὶ Παιώνιος ἐσβέσθη δέ.

Πύστιν κατ' ἐσθλὴν ὕδατος Παιωνίου.

Hæc quidem pluribus, vt audaculos illos coërcere possis, qui eruditos homines castigare non verentur, quod *Pæonem* pedem illum metricum, & *Pæonem* Medicum penultimâ productâ efferant, & in *Pæonius* ac *Pæonia* secundam extendant in pangendo carmine. Sed quid iam ad Virgilij, Silij, aliorúmque Poëtarum auctoritatem dicemus? Æneidos 7.

Pæoniis reuocatum herbis & amore Dianæ.

An Virgilium detractâ vocali ω genitiuum Παιῶνος, quo vtitur Homerus Iliados 5. versu 899. primùm vsurpasse, aliósque deinceps Latinos exemplum eius sequutos? An quod magis mihi arridet in versibus illis, eandem admittendam esse synæresim Poëticam, quæ in *aluearia*, *Oenotrij*, *Tereo*, *donariis*, & similibus occurrit? Non inficiabor tamen aliquando scribi Græcè obliquos

illos per omicron, sed rariùs, & apud haud magnæ rei scriptores, vt vel in Amanuensium inscitiam id referre liceat, aut saltem, quod aliàs monui Parte Octauâ Prosodiæ Illustratæ, longè tutius sit producere.

PALATIVM & *Palatinus* prìmâ haud dubiè breui: Ouidius & Virgilius:

Res placet, alter init nemorosi saxa Palati.
Illic quæ tulerant nemorosa Palatia frondes.
Tecta Palatini sedémque petit Euandri.

Eandem insertâ alterâ, vt arbitror, consonante produxerunt Martialis, Statius, Silius, & alij:

Inde sacro veneranda petes Pallatia cliuo.
Ad Pallatinas acipensera mittite mensas.

Sicque legendum ij certè docebunt, qui à Virgilio insertum esse alterum lambda existimant in nominibus *Pallas* Pallantis, & *Pallanteum*. Vide Stephanum, qui vrbem Arcadiæ vocat Παλάτιον ἀπὸ τοῦ Πάλαντος. Cæterùm *Pallacam*, quâ voce vsi sunt Suetonius, Plinius, alij, penultimam corripere, nec mediocriter hallucinatum esse Auctorem Thesauri linguæ Latinæ, docet Homerus Iliados 9.

Ος μοι παλλακίδος περιχώσατο καλλικόμοιο.

PAMPHYLIA regio Asiæ, ineptè à nonnullis ab arborum copiâ deriuatur, & vitiosè à S. Gregorio Naz. Auieno, & quibusdam aliis secunda corripitur: quippe à φῦλον oritur, non φύλλον. Vide inter cæteros Stephanum Byzantium de Vrbibus, vbi id nominatim docet, nec abludit Dionysius:

Παμφύλων καὶ μέχρι, Κελένδεριν, ἐμπίζουσι.

· *Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες.*

Sic Latini Lucanus, Statius, Claudianus, alij. De *Pantaleemonis* cremento corripiendo nonnihil diximus in Proſodica Gauanti Cenſura. Atque vt oſtendas primam, ſecundam, atque crementum in *Paphlagones*, corripi, Ariſtophanicum hunc Iambicum accipe, in cuius quintâ ſede eſt dactylus:

Ἐπρίατο δοῦλον βυρσοδέψην Παφλαγόνα.

PAPYRVS charta & arbuſcula Ægyptia, penultimam producit, licèt enim recentior quidam in Anthologia corripuerit, præponderare tamen meritò debet Latinorum omnium, eoúmque veterum & claſſicorum auctoritas, qui ad vnum omnes penultimam producunt, atque adeò in deriuatis *papyrifer*, *papyraceus*, *Papyrius*, *Papyrianus*, &c. Parum itaque prudenter fecêre, qui vnius Græculi verſu contenti incautam iuuentutem nullo præmonitam verbo in certam perniciem veluti manuducunt. Nam vt omittam antiquiores Ouidium, Manilium, Iuuenalem, &c. ſequentes verſus ex Auſonio, S. Paulino ac Martiale delibabo:

Per campum replices Muſa papyrium.
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Eheu quàm bene nunc Papyriane.



XX. DISSERTATIO.

Paracletus & Paraclitus, Paralipomenon, Papia, Palmyra, Patrimus, Pelecanus, Pepones, Pentathlum.

PARACLETVM pronuntiari debere penultimâ productâ nemo ambigit, cùm Græcè scribatur παράκλητος, id est *aduocatus, consolator, defensor, patronus*, à verbo παρακαλέω: sed à pluribus annis Grammatici certant an Paraclitus penultimâ breui post Prudentium aliósque Poëtas atque Hymnographos sacros, efferri possit etiam in oratione soluta, cùm ex ambone, pulpito, alióve loco Euangelia, Homiliæ sanctorum Patrum, similésque Ecclesiastici leguntur libri. Ego sic breuiter censeo, quod ad penultimam illius nominis spectat, quæ errore in vulgus à pluribus sæculis vel ex originationis ignorantiâ, vel præiudicio accentus antepenultimam apud Græcos occupantis, vel imitatione quorumdam Poëtarum propagato, & apud omnes doctos indoctósve passim recepto corripitur, eam certo certiùs longam esse naturâ suâ siue *Paracletus* siue *Paraclitus* dicas, vt etiam accidit in *Agapito* & *Agapeto*, *Theodorito* & *Theodoreto*, *Porphyrogennito* seu *Porphyrogenneto*, ac similibus; tolerandos tamen eos esse, qui antiquæ consuetudini morem gerentes, eam inter pronuntiandum deprimunt, modò ipsi fateantur nullum causæ suæ patroci-

nium præter inueteratam ac veluti πατροπαράδοτον traditionem accedere. Iampridem enim proſcripta eſt eorum inſcitia, qui Paraclytum per ypſilon ſcribendum putabant, cùm περίκλυτος *famoſus* ſit, *infamis*, atque oppoſitus τῷ κλυτὸς, vt Lexica docent; & qui per iota ſcribere, & à παρακαλέω deriuare contendunt, à veterum librorum fide, Sanctorum Patrum interpretationibus, ac communi fidelium ſenſu omninò recedunt, ſéque ſolos ſuæ ſententiæ auctores & approbatores habent, vt ante vicennium ſcripſimus in noſtro Indice ad eruditum ſacræ Scripturæ Lectorem, quem laudauit, qui de toto hoc argumento paullò pòſt integro libro doctiſſimè ac prolixiſſimè diſputauit Agnus Benignus Sanreyus Belnenſis in Burgandiâ Eccleſiaſtes.

PARALIPOMENON genitiuus pluralis: quo tandem modo pronuntiari debeat, docebit te pag. Eruditi ſacræ Scripturæ Lectoris 237. De *Papia* vide Cenſuram Gauanti: de *Palmyra* vrbe nobiliſſima ſequor canentem:

Nobilis vrbs cœlo turritas erigit arces
Palmyra dicta Syris, opibus memoranda ſitúque.

PATRIMVS. Vide paullò antè *Matrimus*; vbi ex primo Catulli Epigrammate vocem *Patrima* ὠβελίσαμεν.

PELECANVS, Græcè dicitur πελεκᾶν ſeu πελεκᾶς, ᾶνος. Vide Ariſtophanem in Auibus. *Pelecanus* Latinis ſæpius dicitur productâ penultimâ, quam tamen, vnde vnde habeat, variari concludit Emmanuël Aluares. Tu audi, & ſequere noſtros Ludou. Crucium & Henricum Auberium:

Qualis

Qualis inaccessas mœret pelicanus ad arces.
Exanimes animans pelecanus sanguine pullos.

De *Peponis* quantitate docebit te certiùs Plato Comicus apud Athenæum in hoc Iambico:

Σικυοῦ πέπονος εὐνουχίου κινήμας ἔχων.

Sic μηλοπέπονες apud Galenum, Theophrastum, Dioscoridem, similésque: quare mirandum in eius vocis assignandâ quantitate hæsitasse Lexicographos; quemadmodum & in nomine *pentathlum*, quinquertio, quia paullò remotius erat ab vsu communi, & ab ἄθλον descendit, vt in nostro Elencho pluribus obseruabamus.

XXI. DISSERTATIO.

Phaëthon, Pharsalus, Philadelphia, Photinus seu Pothinus, Phrenitis, Phreneticus, Phrenesis.

ADVERTE Varronem apud Quintilianum, & Manilium in Astronomicis ex a, & e, vocalibus diuisis in nomine *Phaëton* Latinam fecisse diphthongum his in versibus:

Cum te flagranti deiectum fulmine Phaton.
Phathontem patrio curru per signa volantem.

Mantuani Hyperaspistes, Smetius, aliíque in fraudem inducti sunt corrupto quodam Catulli versu, quem sic eruditiores restituêre:

Pharsalon coëunt, Pharsalica tecta frequentant.

PHILADELPHIA, vrbs à Philadelpho dicta, tam apud Strabonem, Stephanum, aliósque pro-

ſanos, quàm capite tertio Apocalypſeos, ſemper ſcribitur cum diphthongo φιλαδέλφεια. Quod omnino exigit, tum analogia ſimilium nominum, de quibus quædam non contemnenda leges Parte decima Proſodiæ illuſtratæ pag. 79. tum vt diſcrimen aliquod ſtatuatur inter vrbis nomen & φιλαδελφίαν, id eſt, *fraternitatis amorem*, quâ voce vſus eſt inter cæteros Apoſtolus capite vltimo Epiſtolæ ad Hebræos: vnde licebit inſignem Lexicographorum ſocordiam aduertere, quámque periculoſum ſit eiuſmodi duces ſequi cum Gauanto, de quo nonnihil aliàs præmiſimus pag. 276. Appendicis ad Catholicos Indices. Imprudenter quoque Kircknerus abſque vllâ cenſurâ ſibíque familiari aſteriſco deſcripſit, ineptum Ioannis Honteri verſum: quorſum enim potiùs *Laodicea* penultimam protrahat quam *Philadelphia?*

Interius Trallis, Philadelphia, Laodicea.

Philadelpheus ſeu *Philadelphiùs* penultimâ breui, vt *Philippeſius*; quam producit *Philadelphenus*, qua voce ἐπιχωρείῳ vſum fuiſſe Ioſephum teſtis eſt Stephanus in Lexico Vrbico

PHOTINVS Pompeij interfector, primam corripit apud Lucanum, Martialem, Claudianum; quam *Photinus* hæreticus haud dubiè producit: ſcribitur enim apud Græcos Patres ſcriptoréſque Eccleſiaſticos φωτεινός: vndè immeritò Smetius carpit Prudentium ita canentem:

Hac ſe ſe occultant Photinus & Arrius arte.

Neque enim peccatum eſt in nomine *Photinus*, ſed in *Arius*, vt ſuo loco monuimus. De *Pothino* Lugdunenſi Epiſcopo, de Martyre conſule Eu-

ſebij Cæſarienſis hiſtoriam, S. Hieronymum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis eiúſque Metaphraſtem Sophronium : nam in Martyrologiis ac recentioribus Hiſtoricis ſcribitur *Photinus*.

PHRENITIS, Græcè φρενῖτις, atque inde φρενιτικὸς, apud Latinos *phreneſis* & *phreneticus*, quod argumento eſt olim etiam vſurpata fuiſſe φρένησις & φρενητικὸς eodem planè ſenſu : Iuuenalis cum Martiale, aliíſque, ſecundam producit ; quam mendosè corripuerunt Serenus atque Prudentius:

Cùm furor haud dubius, cùm ſit manifeſta phreneſis.

Quid mirum rabido ſi corde phreneticus æger.

S. Proſper ſeruatâ egregiè quantitate, quamuis eum ſuggillare eo nomine tentauerit Smetius, quòd *Phrenetici* primam produxerit illo antiquior Martialis Epigrammate 29. libri vndecimi hoc verſu :

Inuaſit medicum ſicâ phreneticus Eucli,

cùm legendum ſit, vt emendatiores editiones habent :

Inuaſit medicum Naſica phreneticus Eucli.



XXII. Dissertatio.

Picti, Pictones, Pictauum, Pilatus, Pinarus, Pimplea, Pisidæ, Pituita, Plemmyris, Plemmyrium.

Pictones populi Galliæ Aquitanicæ apud Strabonem libro 4. vbi agit de Ligeri fluuio, Ptolemæum libro 2. Lucanum libro primo v. 436. Ausonium pluribus locis, ac nominatim epistolâ ad Paulum de Nobilibus Ostreis, sanctum Paulinum epistolâ ad Ausonium, alióſque, penultimam corripiunt. Castigandi itaque Theſaurus LL. Deſpauterius, & quidam alij; corruptus quippe est Claudiani, quem proferunt, verſus ex quarto carmine de Conſulatu Honorij, & pro *Pictonum* legendum *Pictorum* contendo, præeunte Elia Vineto commentario in Auſonij Profeſſores Burdegalenſes. Hanc verò coniecturam confirmat ipſemet Poëta, qui ſæpè alibi Pictos cum Scotis Britanníſque recenſet, vt cùm de Bello Getico ſic canit:

Venit & extremis Legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat iura truci, ferróque notatas
Perlegit exangues Picto moriente figuras.

Vrbs eorum primaria *Pictauum* vel *Pictaui* dici ſolet penultimâ productâ, vt Gandauum, & ſimilia; quod firmatur auctoritate Auſonij epigrammate 50.

Imago Rufi Rhetoris Pictauici.

Et Venantij Fortunati multis locis, vt recentiores omittam.

PILATVS execrandus ille Iudææ Procurator ac pessimus Iudex, primam videtur producere, quemadmodum & *pilatus*, id est pilo armatus, quod & Iuuencus semper, necnon Prudentius, fecerunt: Lactantius, Sedulius, aliique pauciores corripiunt:

Pilatus donat plebi, legique Barabbam.
Finge animo & testes & saui infanda Pilati.

Secundam Latini omnes, quod viderim hactenus, producunt: notandum tamen Nonnum Panopolitam in sua Euangelij S. Ioannis Paraphrasi Poëtica vbique, sed præsertim cap. 18. & seqq. vtramque corripere:

Καὶ Πίλατος λαοῖο βοὴν ἄσβεστον ἀκούων.

De *Pinaro* Ciliciæ fluuio vide Dionysium Periegetem:

Τηλόθεν ἐρχομένων Πυράμοιό τε καὶ Πινάροιο.

Versus autem Panyasis in Tremile apud Stephanum corruptus est, atque hoc modo concinnandus:

Τῆς δ᾽ ὀλοοὶ παῖδες Τλῶος, Ξάνθος, Πίναρός τε.

Pimplea penultimam producit, tum apud Callimachum initio hymni in Delum, tum primo & secundo Siluarum Statij. At dissolutâ diphthongo Πιμπλεΐας leges apud Orpheum, & *Pimplias* apud Sidonium.

PISIDÆ. Τοῖς δ᾽ ἐπὶ Πισιδέων λιπαρὸν πέδον, Dionysius Periegetes in descriptione Orbis versu 858. At Claudianus libro secundo in Eutropium primam corripuit, & Calepino persuasit, qui dum Priscianum seu Fannium malè vtramque producen-

tem castigat, veritatem ex parte tantùm attigit, cùm tamen is rectè Dionysium sequutus scripserit, vt quidem sentio:

Post hos Pisideum pinguissima rura coluntur.
Sanè si etymologiam sectari velis à pratis siue locis irriguis, quæ Homero Græcísque πίσεα dicuntur primâ longâ, deduci potuit regionis illius nomen.

Pistacia nuculæ strobilis similes medias rectè corripiunt apud Nicandrum in Theriacis: Palladius ergo minùs benè secundam produxit.

PITVITA quem quantitatis modulum seruet in tribus prioribus syllabis, ex nullo meliùs quàm ex Catullo cognoscas hoc versu Phaleucio Epigrammatis vigesimi tertij:

Mucúsque & mala pituita nasi.
Nam Horatius & Persius licitâ omnibus etiam tyronibus in hac voce Synecphonesi vsi sunt versâ in consonantem v vocali. Quare penultimam saltem inter pronunciandum produces semper, nec Grammaticulos quosdam audies, qui omnia susque deque vertunt.

PLEMMYRIS inundatio, & *Plemmyrium*, secundam variant. Quam enim produxit Dionysius v. 107. & 202. Homerus corripuit Odysseæ 9. licèt quidam aliter legant: Panyasis apud Athenæum libro 2. Dipnosproducit πλημμύρῳ. Virgilius verò corripit 3. Æneidos, nisi quis ad synizesin confugiat:

Plemmyrium undosum nomen dixêre priores.

XXIII. DISSERTATIO.

Polydamas, Polycletus, Polypus, Polyhymnia, Pompilius, Pompilus, Pomponius, Porphyrogenitus, Porsenna, Potior, Præcoquus.

POVLYDAMAS & *Poulycletus* apud Persium & Prudentium leges pro *Polydamas* & *Polycletus*, imitatione Græcorum, qui cùm nomen aliquod à πολὺ compositum propter consequentes breues locum in Hexametro habere non potest, primam inserto y Græco producere solent. De nomine *Polypus* consule Athenæum, ex quo disces tum accusatiuum Atticum esse πολύπουν, Æolicum πόλυπον, communem πολύποδα, tum nominatiuos πολυποῦς vel πουλύπους, πολυπόδης vel πουλυπόδης vel πόλυπος vel πούλυπος vsurpari passim. Ouidius:

Vtque sub æquoribus deprensum polypus hostem.

Nasutum volo, nolo poulyposum.

Martialis, licèt alij non scribant per υ, quia Doricè πώλυπος scribitur: Archestratus:

Πώλυποι ἐντι Θάσῳ καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄρισοι.

Aristophanes verò diphthongum in prima adhibet cum pluribus aliis:

Πηγαὶ λέγονται πουλύπου πλουμένου.

Addo non mirum breuiari à Latinis vltimam, quia composita à ποῦς partim exeunt in diphthongum, partim in nudam vocalem, vt patet in Οἰδίπους, ἄρτιπος, &c. Nomen vnius è Musis multi-

plex reperitur apud Græcos : dicitur enim Πολύμνια, Πολύμνεια, Πολυμνῆτα, & Πολυύμνια, vt ex Scholiaste Hesiodi, Phornuto, Suidâ, aliísque colligi potest. In Antholog. Epigr. de Musarum inuentis.

Τέρψιας ὀρχηθμοῖο Πολύμνια πάσσοφος εὗρεν.

Nam verum fateamur, amat Polymneia verum:

In Ceiri. Choriambicus autem Horatij ode primâ libri primi sic legi solet :

Euterpe cohibet, nec Polyhymnia,
Lesboum refugit tangere barbiton.

POMPILVS piscis, & *Pompilius* cognomen Numæ, medias corripiunt; huius tamen secundam produxit Prudentius, illius Ouidius seu quis alius auctor Halieuticon : cùm tamen Oppianus corripuerit, cui fauet accentus Græcus, subscribúntque plurimi apud Athen. libro 7. Dipnosophistarum :

Ἐν κύθοις νέμεται καὶ πομπίλος, ὃν περὶ ναῦται.

At *Pomponius* secundam protrahit : stertebant verò profundiùs Fabritius, Kirchnerus, alij, dum *ponderamentum* legebant apud Prudentium in Hamartigeniâ, cuius sana, nec castiganda, carmina repræsento :

Casside terribilis, setarum pondera mento
Concutiens, dextrámque graui cum cuspide quassans.

PORPHYROGENNETVS & *Porphyrogenneta*, Græcè Πορφυρογέννητος vel Πορφυρογεννήτης, penultimâ longâ pronunciari debent : *Porphyrogenitus* verò penultimam vulgò corripit. Existimaram aliàs monstrum esse hybridæ vocis à recentioribus

bus Italo-Barbaris ἀπὸ τῆς πορφύρας, id est, à *purpurâ*, & à participio verbi *gigno* coagmentatum, quod in aliis quoque multis, tum apud Comicos, tum posterioribus sæculis apud omnes pene scriptores vsu vênit, significare verò Imperatoris filium, qui recens natus purpurâ exciperetur & inuolueretur. Nunc autem re pensiculatiùs examinatâ, censeo vocamen illud iam inde à Luitprandi Ticinensis Diaconi temporibus, vt eius legatio fidem facit, in Occidente merè Latinum esse. Quum enim constantior modò sit eruditorum sententia, non à *purpurâ*, quâ nascentes exciperentur Imperatorum filij, sed à Palatio quodam Constantinopolitano Πορφύρα dicto, vbi prægnantes Augustæ maturum effunderent partum (quâ de re plura alij ex Luitprando, Annâ Comnenâ, Constantino Manasse, Nicetâ Choniate, cæterísque eiusmodi) appellatos fuisse nouo nomine *Porphyrogennetas*, si Græcorum vestigia pressiùs volueris sequi: at si Latinis adhærere malueris, *Porphyrogenitos*, vertendum modò stylum, & Latio vindicandam compositam illam vocem contendo: non ita tamen vt damnare velim eos, qui *Porphyrogenitum* penultimâ productâ efferunt, & è Græco deflexis dictionibus annumerant, vt *Paraclitum*, *Agapitum*, &c. Vtrumque enim mihi vero simillimum videtur: *si quis autem*, vt docet alicubi politissimus Gifanius, *putet in his literis, quæ ab Humanitate sunt appellata, variare non licere, næ ille sæuus est, & rerum imperitus, & ab omni ipse humanitate alienus.* Atque ex iis mollire licebit parenthesim

illam, quam pag. 155. Catholicorum Indicum Emendatæ Pronunciationis inseruimus: *Porphyrogenitus* enim penultimâ breui, vt vulgò iactant, vocem, iam inde à Luitprandi temporibus Latio donatam, licèt damnare non ausim, lege de Peregrinis, cùm ex *Porphyra* palatio CP. & verbo *gigno* deriuari possit; fateor tamen libentiùs me eorum partes sequi, qui tritam vulgò pronunciationem deserunt.

PORSENA Hetruscorum Rex, penultimam habet ancipitem. Virgilius libro 8. Æneidos, Sidonius carminibus quinto & septimo, aliíque produxerunt. At Horatius epodo 14. Silius lib. 8. Martialis lib. 1. & 14. & nonnulli fortè plures corripuerunt. Græcè tum Πορσήνας scribitur, tum Πορσίνας, vnde errare certum est eos, qui alterutro modo pronunciantes nimis procaciter arguunt. Duos tantùm laudabo, Virg. & Silium.

Nec non Tarquinium eiectum Porsena iubebat.

Cernitur effugiens ardentem Porsena dextram.

Aduerte verbum *potior, potiris, potitur, potiri,* &c. esse quartæ coniugationis, quam omnino vsurpandam censeo in soluta oratione atque inter pronunciandum, vt à mille iam, & quod excurrit, annis in eleganti epistola, quæ est Ll. ad Viuentiolum Rhetorem, docuit S. Auitus Viennensis Præsul. Nam cùm carmine scribemus, reuocare licebit ad tertiam, vt in sequentibus:

Sed rure vacuo potitur & aperto aëre,

Seneca post Virgilium, quibus adiungo Ouidium & Ausonium,

Túque tuis armis, nos te poteremur Achille,

Fortis progressis vt potereris equis.

Sic enim legendum, non *potiremur*, aut. *potireris*. Fortunatus secundam in *potiturus* corripuit absque vllo, quod sciam, veterum exemplo, cùm *potitus* apud Lucretium, Virgilium, alióſque semper secundam producat. De *præcoquo* & *præcoce* nihil addam iis quæ habentur in Ianua Musarum, præterquàm quòd Ioannes Auratus in dedicatione Poëmatum Regi Henrico factâ crementum illud minùs peritè produxit, & Mantuanus in *tricocibus* malis.

XXIV. DISSERTATIO.

Præstolor, Pramnium vinum, Presbyterium, Priene, Psimmythium, Ptisana, Pylorus, Pyramus, Pyramis, Pyrene, Python.

PRÆSTOLOR, quam vocem coniiciebam aliàs deriuari à *stolâ* ἀπὸ τῆς στολῆς, videtur enim accedere ad *accingo*, *procinctus*, & similia à vestibus deducta, penultimam corripit, quantùm ex Comicis sagaci indagatione rimari hactenus potui. Terentius Eunucho Actu 5.

Quem præstolare Parmeno hic ante ostium?

Dum enim domi præstolor, adolescens aduenit:

Plautus: cui subscripsêre è recentioribus Buchananus in Psalmum 27. Iosephus Scaliger, alij:

Vita beata præstolor.

Quidquid futurum præstolatur, excipit.

Scio quosdam iuniores cum Despauterio produ-

xisse, sed nihil ex antiquioribus proferunt, quo coniecturam meam labefactent. Idem quoque asserit Aluares, sed nihil habet quo se tueatur. Quin potiùs audi Becmannum de Originibus Linguæ Latinæ: Quantum sit O, inquiritur. Plerique viri in hac palæstra exercitatissimi producunt, nescio cuius testimonio Poëtæ. Terentius in Eunucho videtur corripere, & doctissimus Poëtarum Buchananus. Nec ratio nulla est: quia fit à diminuto *præstolus*, seu *præstulus* à præstum. Et videre peruelim huius generis vnum quod breuis non sit penultimæ. Ergo vt *hasta hastula*, *pileus pileolus*, *pater paterculus*, *ventus ventulus*, *limatus limatulus*, ita etiam *præstus præstulus*, & inde verbum *præstolor*. Quæ ex Scaligeri annotationibus in Festum prodierunt, vt quæ habet in eiusdem nostræ opinationis confirmationem Gerardus Ioannes Vossius libro 2. de Arte Grammatica cap. 37. & libro de Constructione cap. 34. vbi ex Nonio citatur & illud Turpilij Pedio:

Ego præstolabo illi, eo citante Opitium.

Pramnium celebre quoddam vini genus prope Smyrnam, de quo Homerus Iliados 11. & Odysseæ 10. penultimam producit; quam tamen Aristophanes corripere non est veritus. *Prasiæ* oppidum ad ostia Inachi, *prasinus* porraceus, *Prasina* factio Venetis semper aduersa, *prasios* gemma, *prasoides*, *Chrysoprasus* gemma, & si quæ alia à πράσον orta, corripiunt alpha; quod Homerus in πρασσοφάγος rana, geminato sigmate produxit in Batrachomyomachiâ. *Presbyter* penultimam corripit, quam πρεσβύτης producit, ne quem irretiat simi-

litudo vocis. *Presbyterium* ordo ſiue officium, penultimam ſimiliter breuiat, quam *Presbyterium* domus ſeu locus ſacerdotum, dicitur producere.

Priene primam Periegetæ, Auſonio, aliiſque corripit, quam Sidonius Panegyrico primo produxit, tacente atque approbante de more Smetio, eiúſque ſequacibus. De propoſitionibus *Pro* Græca & Latina, non ſecus ac de pluribus ex iis compoſitis dictionibus multa hîc annotanda eſſent, in quibus Smetius, Kirchnerus, ſimiléſque Grammatici peccarunt, productis in medium ſpuriis, aut ſaltem fœdè vitiatis veterum ac præcipuè Eccleſiaſticorum Poëtarum verſibus: ſed ingrato labore ſuperſedeo, præſertim cùm R. P. Ludouicus Caualli in reſerata Muſarum Ianua intento in digitos fonte, optimíſque vſus editionibus, barbariem illam procul amandarit.

PSIMMYTHIVM ceruſſa, Græcè etiam ψίμυθος. In Anthologiâ minimùm ter vtraque prior ſyllaba corripitur:

.... οὔποτε φῦλος,
Καὶ ψίμυθος τέξει τὴν Εκάβην, Ελένην.

Nicandrum, alióſque non profero: vt modò oſtendam eamdem ſecundam produci poſſe, prolatis, ſi opus ſit, aliquibus veterum Comicorum Trochaïcis, apud Athenæum, Clementem, atque Pollucem, Alexidis ſcilicet atque Ariſtophanis, quos prætereo, quemadmodum & verſum ex Pluto ſub finem quinti Actus, vt illud idem Eubuli iambico confirmem in Stephanopolidibus ex libro 13. Dipnoſophiſton:

Εἴξασι παλαιαῖς ἀνάπλεῳ ψιμμυθίου.

Smetius vnius dumtaxat Marcelli auctoritate contentus alios melioris notæ Poëtas non curauit accersere, quasi *Psimythi* seu *Psimmythij* secunda semper longa sit, vt edicit Gulonius, & à μυθοῦμαι deriuat in Canone Græco, in quo longè limatior & defœcatior est, quàm in Latino, quamuis Tigridis pelle maculosiori, vt pluribus aliàs demonstrauimus.

PTISANA hordei cremor, seu hordeum ipsum pistum & à cortice purgatum, ex Græco πτισάνη, primam penultimámque corripit : Anthologiæ libro 2.

Τὰς κριθὰς ποιεῖ τὶς πυκνίοις πτισάνην.

Nicander in Theriacis, κοτύλῃ πτισάνοιο γέασθαι.

Frumentum, milium, ptisanámque, fabámque solebas:

Martialis lib. 12. cui præiuerat Horatius 2. Serm. satyrâ 3.

Quid cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.

Scaliger cùm *Ptissania* appellat primâ longâ, respexisse videtur ad Græcum πτισσάνη à πτίσσω, *pinso, tundo, decortico.* Hæc verò pluribus testimoniis firmare volui, quòd sciam quamplurimos, dum libros Iudicum, Regúmque publicè in Choro, Scholis, Tricliniísque legunt, ad hanc vocem, velut ad quemdam scopulum sæpe sæpius impingere. *Pylæ* primâ breui. Vide Ianuam Musarum, vbi omissus est *Pylorus* penultimâ longâ, Græcè etiam πυλαωρὸς, *ianitor, custos*, Iliados 21. & & alibi. Possem quoque hîc plura addere de *Pyrite*, *Pyramide* & deriuatis à πῦρ & πυρὸς *ignis*

& *frumentum.* De *Pyramo* Thiſbes proco, & *Pyramo* Ciliciæ fluuio, cuius primam Dionyſius v. 867. eiúſque interpretes breuiant, producit autem Oraculum quoddam apud Strabonem libro primo, de *Pyrene* & *Pyrenæis* montibus, de *Pythagora*, *Pythio* Apolline, *Pythone* ſerpente, *Pythoniſſis*, &c. Sed eſt qui moneat ſeruandum eſſe ſpicilegio nonnihil. *Vide Ianuam Muſarum.*

XXV. DISSERTATIO.

Quatuor, Quinquatrus, Raphanus, Rapa, Reſina, Retro, Rubigo, Rubigus, Rubrica, Rugio, Rumpotinæ, Rumina.

QVATVOR ſiue ſimplici t, ſiue geminato ſcribatur, primam ſemper producere debet, vt ex Virgilio, Horatio, aliiſque Poëtis magni nominis conſtat. Errántque omnino qui breuiari poſſe edicunt, productis in medium Ennij alteriúſve Caſci Poëtæ teſtimoniis aliquot nimia vetuſtate rancidis, præſertim cùm vir doctiſſimus Paulus Merula contendat *quatuor* apud Ennium vocem eſſe diſſyllabam, cui ſanè non repugnabo: ſic verò legit verſum illum, quem refert Cicero primo de Diuinatione:

Cedunt de cœlo ter quatuor corpora ſancta.

Quin & Conradus quidam Celtes auorum noſtrorum memoriâ licentiam hanc in vſum reuocare voluit hoc verſu:

Piniferi cuius de vertice flumina quatuor.

De quantitate nominum *Quinquatrus* & *Quinquatria*, nihil certi dici poteſt : qui enim producunt eo colore, quòd ab *atris* diebus aut à quinque diebus poſt diem *atrum*, vel à Mineruæ *atriis* voces illæ profectæ ſint, iam pridem à viris doctis exploſi ſunt, cùm ex Varrone & Feſto conſtet haſce ſyllabas *atrus* & *atria* additamenta eſſe atque appendices, vt in *ſexatrus*, *ſeptimatrus*, *decimatrus*, &c. Quare cùm eiuſmodi καταλήξεων ſiue appendicularum ignoretur quantitas, quidquid dixeris, per me licebit.

RAPHANVS & *Raphanea* vrbs Syriæ, priores corripiunt. Homerus in Batrach.

Οὐ τρώγω ῥαφάνας, οὐ κράμβας, οὐ κολοκύνθας.

Decoctum raphani ſemen cum melle vorabis: Serenus, & alij quos vidi. Athenæus libro ſecundo: ῥαφανίδες οὕτως κέκληνται διὰ τὸ ῥαδίως φαίνεσθαι, ἐκπεπαρμένως δὲ καὶ κατὰ συναλὴν λέγεται παρ' Ἀττικοῖς. Verùm, vt vt ſit de Etymo, tertio enim à ſatione die è terrâ dicitur erumpere, & ocyſſimè exceſcere, nullum hactenus legi Poëtam nobilem, qui produxerit primam, ſaltem ipſe non profert, quinimmo Cratinus, quem incontinenti citat, corripuit ῥαφανῖδες ſolo cremento producto. De *rapis*, vnde *rapula*, *rapunculus*, *rapina*, nulla inter doctos controuerſia poſt auctoritatem Horatij, Sereni, Martialis, & aliorum. Iucundum tamen fortè iis fuerit expendere verba illa Athenæi libro nono, quæ oſtendunt Latinos Græcæ quantitatis nullam habuiſſe rationem. Σπεύσιππος δὲ ἐν δευτέρῳ ὁμοίων, ῥαφανὶς, φησὶ, γογγυλὶς, ἀνάρρινος ὅμοια, τὴν δὲ ῥάφυν Γλαῦκος ἐν τῷ ὀψαρτυτικῷ διὰ

τοῦ

τῷ τι ψιλῶς καλεῖ ῥάπυν, vnde non improbabile *rapus* seu *rapum* ad Latinos promanasse.

RESINA, Græcè ῥητίνη seu ῥητίνη, vtrámque producit, quidquid sequius docuerint vulgares Grammatici post Despauterium, Auct. Thesauri LL. Gulonium, & quosdam alios, qui corruptis Iuuenalis & Martialis versibus in errorem grauissimum fuerunt inducti. Vide Serenum ter aut quater, Martialem libro 3. & 12. alios. In Iuuenalis versu 113 Satyræ octauæ iampridem emunctæ naris critici particulam *enim* fixerunt obelo:

Despicias meritò : quid resinata iuuentus.

Nec minus manifestè corruptus est locus Martialis epigrammate 67. libri tertij, de quo, si vacat, post Turnebum consule commentarios doctissimos nostri Matthæi Raderi. Nec omittenda coniectura Iani Gruteri, qui nomina riuulorum per quos nauigabat Martialis, expressa suspicatur:

Vaterno Rasináque pigriores.

De participio *recensitus*. Vide pag.237. Eruditi Sacræ Scripturæ Lectoris.

RETRO. Vide *intro*, & Iambicum Terentiani adiunge:

Quos in Trochæos retrouertit Creticus.

RVBIGO vitium in metallis, & *robigo* in segetibus, vnde *Robigus*, Deus & festa *Robigalia*, primam semper producit apud Catullum, Virgilium, Horatium, Ouidium, Iuuenalem, Statium, Lucanum, Propertium, aliósque probatos:

Exesa inuenies scabrâ rubigine pila.
Flamen in antiqua lucum Robiginis ibat.

Linguáque nec rigeat, careant rubigine dentes.
In Martiale pro *rubigine* Despauterius cum Sulpicio legendum putat *aerugine*, nec improbabiliter: ego verò leui vnius voculæ mutatiuncula versum nitori suo atque integritati restituo:

Vteris ore aliter, nimia & rubigine captus.
Prudentij autem similiúmque in hisce Prosodicis apud me auctoritas penitus nulla, cùm recedunt ab antiquis. De *rubrica* & *rugito* assentior R. P. Ludouico Caualli. *Rumpotina* vites & arbores penultimam mihi corripere videntur, contrà quàm definiat auctor Thesauri L L. Cum eo tamen, Calepino, Gulonio, Aluare, aliísque *Runcinam* runcationis præsidem Deam, & *runcinam* instrumentum fabrile penultimâ longâ pronuntio, licèt veterum desideretur exemplum.

XXVI. DISSERTATIO.

Samaria, Sandalium, Sandyx, Scandix, Santo, Sapores, Sapphirus, Sardanapalus, Sardonius, Saronicus, Saronidæ, Satanas.

SAMARIA penultimam producit semper in codicibus Euangeliorum, Iosepho, Nonno, &c. Aduerte autem 1. Iuuencum solam primam in *Samarites* corripere: 2. apud Nazianzenum carmine primo Σαμαρέων esse choriambum: 3. Sedulium omnia peruertere, tacente Smetio. Rectè Alcimus Auitus:

Et Samaritani nos extera cura fouebit.

SANDALIVM, calceus præſertim muliebris, à cuius ſimilitudine *Sardinia* inſula dicta fuit Timæo *Sandaliotis*, quæ Myrſilo *Ichnuſa*, ſecundam à prima cum penultima corripit, vt ex Græcis Poëtis certiùs, quàm ex Trochaïco Terentij in Eunucho Actu quinto conſtare arbitror: vnde meritò Ioſephus Scaliger verſum Pedonis de obitu Mœcenatis, quem Smetius, Kirchnerus, aliíque de more ἀβασανίστως pueris obtruſere, ſic ex veteri membrana emendat:

Argentata tuos etiam talaria talos.

Sandaracha & *Sandarachinus* medias omnes corripiunt, *Sandyx* verò crementum producit apud Græcos Latinóſque, Propertium, Marcellum, Scaligerum, alios, &c. Gratius tamen auſus eſt canere, etiam fœminino genere in maſculinum mutato:

Interdum Libyco fucantur ſandice pennæ.

Sic *ſcandix* olus ſilueſtre crementum producit, vt patet ex ſenario apud Suidam, quem Ariſtophanis eſſe vix ambigo in Euripidem, qui dictus σκανδικοπώλης à matre:

Σκάνδικά μοι δὸς μητρόθεν δεδεγμένος.

SANTO crementum corripit Lucano, Iuuenali, Auſonio, aliíſque auctoribus, ex quibus meritiſſimo iure cenſet eruditiſſimus ac præſtantis iudicij vir Aluares noſter corrigendos Ptolemæum, Stephanum, alióſque Græcos, qui per omega ſcribunt, quemadmodum & Senones, & ſimiles Galliæ populos. De *Sapore* Perſarum nihil habeo quod adtexam iis quæ aduersùs Gauantum obiter annotaui pag. 277. Appendicis ad Catholicos

Indices, niſi verſum R. P. Ludouici Cellotij in Tragœdia Sapor admonitus:

Toto Saporem lumine attonitus cole.

Cæterùm *Sapires* populi, *Sapphirus* gemma, *Sapphous*, *Sardous*, penultimam producunt, quam corripiunt *Sapphicus* & *Sapphirinus*. *Sardanapalum* Aſſyriorum Regem vltimum, fruſtra quidam à *Sardium reſtauratione* cognominatum autumant, nec enim Græca vox eſt, vt bene Scaliger. Græcis non tantùm in vſu Σαρδώνιος, ſed etiam Σαρδόνιος & Σαρδάνιος. Vide Homerum odyſſeæ 20. & Dionyſium verſu 82. ne Rutilium Numatianum violatæ quantitatis cum quibuſdam arceſſas canentem Itinerarij libro primo,

Nec quæ Sardonico ceſpite maſſa fluit:

aut Claudianum eiuſdem æui Poëtam de Bello Getico verſu 218.

Sardonióſque habitare ſinus, & inhoſpita Cypri.

SARONICVS ſinus, Corinthum ab ortu alluens, de quo Euſtathius ad verſum Dionyſij 422. τὴν μὲν ῥα Σαρωνίδα κικλήσκουσι, ſic & σαρωνίδες quercus cauæ ſeu fiſſæ atque hiantes apud Callimachum initio hymni in Iouem, vnde meritò noſtratium *Saronidarum* nomen deducas, vt *Druidum* ἀπὸ τῶν δρυῶν, quemadmodum iam alio in loco inſinuauimus. Homerus non tantùm genitiuum Σαρπηδόνος vſurpat, ſed etiam Σαρπήδοντος, quem nondum apud Latinos legi. *Satanas* quibuſdam penultimâ productâ profertur, reclamante necquicquam vulgari etiam doctiſſimorum noſtri temporis hominum conſuetudine. Ipſis haud dubiè fauet analogia nominum propriorum, *Pan*, *Paan*,

Brachman, *Titan*, &c. necnon Mantuanus hoc versu:

Tum demum infernis vastanda Satanibus ora.

At S. Gregorius Nazianzenus communem pronunciationem haud parum firmat, dum vltimam *Satan* corripit, & è recentioribus Poëtis Græcis Paulus Dolscius sic canit:

Πρῶτος ὑπόδρα ἰδὼν Σατανᾶς βροτολοιγὸς ἀπηνής.

Cui ex Latinis Poëtis etiam antiquioribus plures addere possem, sed vnus prodeat S. Paulinus tum alibi, tum Natali octauo in S. Felicem:

Pestiferis Satanæ legionibus imperitare.

Paucis ista attigimus pag. 237. Eruditi sacræ Scripturæ Lectoris. *Scaptesula*, vide Dausquium.

XXVII. DISSERTATIO.

Scoria, Scotus, Scrupus, Scillites, Scyphus, Secretarium, Seleucia, Sebastia, Sempiternus, Sesamum, Sesostris, Sextilianus, Sibyllæ.

SCORIA fæx, seu recrementum metalli, primam producit; Græcè enim *σκωρία*: neque existimandum Virgilium seu Auctorem Ceiris voculæ huius triuialis modulum ignorasse, quare pro *Scoriâ* in versu, quem afferunt Smetius, Kirchnerus, alij, *Scabiem* cum Scaligero substituo:

Sordibus & scabie patiar tabescere tali.

Scoti populi primam similiter producunt: non ergo dicti ἀπὸ τοῦ σκότους, à tenebris, à quibus *σκότωμα* vertigo oculorum & capitis, nonnulláque lo-

corum nomina. *Scrupus*, *ſcrupeus*, *ſcrupoſus*, *ſcrupulus*, *ſcrupuloſus*, *ſcrupulum* (pro quo docti apud Fannium agnoſcunt aut *ſcriptum* ſeu *ſcruptum*, aut certè ſcriptlum pro ſcriptulum) primam producunt, non ſecus ac *ſcrofa*, *ſcrutor*, *ſcruta*, *ſcrutarius*, *ſcutum*, *ſcutatus*, &c. Ouidius de ludo duodecim ſcruporum à Palamede inuento ſic legendus :

Eſt genus in totidem tenui ratione reductum
Scrupula, quot menſes lubricus annus habet.

Scillites penultimam producit, σκιλλίτης οἶνος, quam *ſcillinus* corripit σκιλλινός. Errant ergo tum qui per ypſilon ſcribunt, tum qui cum Quincto Sereno producunt, niſi fortè ſatius ſit apud eum legere *ſcillite Baccho*, quemadmodum apud Auſonium epiſtolâ quintâ :

Scillite decies ſi cor purgeris aceto,
Anticyráſque bibas Samij Lucumonis acumen.

Neque enim in omnibus, quæ annotauit, arridet doctiſſimus Elias Vinetus, tum quòd *ſcillinum* Sereni, quod breue omnino eſt, vt docui, poſſe huic loco conuenire cenſuit, tum quòd *ſcillitum* non ſat conſtanter reiicit quemadmodnm *ſcilleticum*, aut Adriani Turnebi *ſcilliticum*, aut vulgarium officinarum *ſquilliticum* ; tum denique quòd σκιλλητικὸν ὄξος acetum è radice ſcillæ herbæ factum apud Dioſcoridem, Galenum, alióſque Medicos Græcos agnoſcat, quod tamen analogia dici poſtulat σκιλλιτικὸν : neque enim σκιλλίτης οἶνος, ſed σκιλλίτης, vt ἀψινθίτης, μυρτίτης, ἰσχαρίτης, &c. Rectè autem obſeruauit apud Plinium alióſque nominibus illis maſculinis primæ declinationis

in ites, iungi neutra *vinum*, *acetum*, veluti per quamdam appositionem, *vinum scillitem facimus*. Sed hæc fortè alterius loci, vt quæ de illius aceti virtutibus prædicat Palladius rerum rusticarum scriptor.

SCYPHVS odysseæ 14. apud Tibullum, Horatium, Virgilium, aliósque, primam corripit, quam tenui aspiratæ præfixâ produxerunt Panyasis, Anaximander, atque Hesiodus non semel, quos cum aliis refert Athenæus. *Scyros* insula Ægæi primam producit in Anthologia, & apud Dionysium v. 521. Calabrum, Tryphiodorum, Catullum, Ouidium, Statium, Propertium, Sidonium, alios. In versu quodam Statij libro secundo Achilleidos legendum arbitror *Scyreades* seu *Scyreiades*, non vt vulgò *Scyriades* reluctante modulo. Sidonius ergo peccauit, vt quidem citatur à Kirchnero,

Vel Scyrias vacuasse colus, vel serica fila.

SECRETVS cum prima penultimam producit, *Secretarium* verò eam corripit, quemadmodum & *Secretarius*, tam enim vox Latina est, quàm *Sacrarium*, *Lararium*, &c. quæ numquam penultimâ productâ efferuntur. Quare mirum mihi accidit, non tantùm quòd in Breuiariis Coloniensibus, aliisque, penultima accentu notetur, sed multò magis quòd in Onomastico ad Vitas Patrum eadem penultima accentum præferat circumflexum semper. Equidem in recentiorum Græcorum scriptis σέκρετον & ἀσηκρητεῖον vidi, at σεκρεταρεῖον numquam, immo & Bullengerus ex veteri Glossario affert σεκρετάρειον βασιλικόν, quam-

quam, vt verum fatear, in Latinarum vocum diiudicandis dimensionibus non sint idonei iudices posteriores illi Græci. De significatu nominis aliàs plura.

SELEVCIA penultimam producit, Σελεύκεια. Vide Stephanum, alióſque Geographos Græcos. In ea voce bis peccauit Fortunatus, dum primam produxit correptâ penultimâ. *Sebaſtea*, ſimiliter ſeu *Sebaſtia*, producit penultimam, Σεβάστεια Euſtathio in commentariis ad περιήγησιν Dionyſij. Notanda tamen Stephani verba: Σεβαστὴ πόλις Αρμενίας, ἡ νῦν Σεβαστία καλεῖται, niſi fortè mendum quis ſuſpicetur, aut argutari velit vrbem illam non à nomine aliquo proprio, ſed ab adiectiuo vocatam eſſe. Libentiùs tamen, vt monui, produxerim, præſertim cùm *Sebaſtea* ſcribitur. Porrò non ignoro plurimos eſſe qui nolint aſſentiri Iulio Cæſari Scaligero, Becmano, Voſſio, & nonnullis recentioribus, qui ſecundam in *ſempiternus* atque *æuiternus* producendam edicunt, quaſi à *ſemper* & *æuum* cum nomine *æternus* copulatis profecta ſint. Quid enim ſi ſimplex ſit terminatio, ſeu nominum appendicula, vt *eſimus*, *enus*, &c. Certè S. Paulinus, Prudentius, aliique Eccleſiaſtici mediæ ætatis Poëtæ corripuere ſæpiſſimè; nec vlla eſt ratio, cur Epici voces illas minimè vſurparint, quàm quòd ſyllaba contumax in medio repugnaret, quam ſi producis, procliue tum erit verſibus Heroïcis Pentametríſque includere. Adde quod commentitiæ ac plerumque frigidæ originationes exploratis veterum teſtimoniis præponderare non debeant, cùm præſertim certum ſit

ſit aliunde compoſita aut deriuata originis ſuæ quantitatem non ſemper ſeruare tenaciùs. Quæ curſim libare placuit, ne quid noui procudatur. Quin & ipſe Voſſius cap. vltimo libri ſecundi de Analogia, veluti ſubdubitans hæc addit: Fortaſſe & in *ſempiternus*, *ternus* vocis eſt productio, niſi malis conflari ex *ſemper* & *æternus*.

De nominum illorum *Salomon*, *Salome*, *Sephora* & *Siloë* vulgari pronunciatione, vide quæ perſtrinximus in Erudito Sacræ Scripturæ Lectore pag. 255. 256. & pag. 241. de coniunctione *ſiquidem*.

SESAMI primam rectè Millieus noſter produxit. Clearchus apud Athenæum libro 14.

Ὠὸν, ἐρέβινθος, σησάμη, κοπτὴ βότρυς.

Sic Σήσαμον vrbs Iliados 2. At mutauit η in ε, idem in Batrachomyomachia hoc verſu:

Οὐδὲ πλακοῦς τανύπεπλος ἔχων πολλὴν σεσαμῖδα.

Seſooſtris Diodoro Siculo ac S. Paulino dicitur, qui Lucano, aliiſque *Seſoſtris*, & Suidæ Σῶστρις. Martialem arguunt Smetius, Kirchnerus, ſimiléſque Proſodiographi, quòd ſecundam in *Sextilianus* corripuerit. Accuſantur quoque læſæ quantitatis Catullus, Horatius, Propertius, Martialis, veterúmque doctiſſimi quique, quòd contra primitiuorum *Sextilis* ac *Quintilis* naturam ſecunda in *Quinctilia*, *Quincttilius*, & *Quinctilianus* fuerit contracta. Certè numquam mihi arriſit etymon illud, neque à *Quinctili* aut *Sextili* menſe dictos reor fuiſſe *Quintilios*, *Quintilianos*, *Sextilios* & *Sextilianos*, (quidni etiam fingas ab Aprili menſe dictos aliquos Aprilios &

Aprilianos) ſed quemadmodum à *Quinto* & *Sexto* prodierunt *Quintius* & *Sextius*, ita ὑποκοριστικῶς à *Quintio* & *Sextio*, *Quintilios* & *Sextilios*, & ab iis eâdem lege *Quintilianos* & *Sextilianos* manaſſe contendo: ſic à *Septimo* ſunt *Septimius*, *Septimianus*, à *Firmo Firmilius* & *Firmilianus*, à *Tullo Tullius*, *Tullianus*, à *Tertullo Tertullius*, *Tertullianus*, &c. In eandem mecum veniſſe ſententiam Voſſium lib. 2. de Arte Grammaticâ cap. 17. didici primùm ex Appendice ad Ianuam Muſarum. *Sibillam* ſeu *Sybillam* paſſim deriuant ex Æolico Σιῶ βουλὴ, quaſi *conſilium Dei*: ego vocem Latinam arbitror; quod vel eius deriuatum *Sybillinus* penultimâ longâ demonſtrat.

Quod Sybillini monuere verſus. Horatius.

XXVIII. DISSERTATIO.

Sicanus, Sichæus, Silenus, Sidon, Sidonius, Sitibundus, Situla, Socrates, Sophia, Sophion, Spado, Spartiata.

SICANVS, modò vtramque producit, vt apud Auſonium Eidyllio vndecimo, modò primam corripit ſecundâ longâ, vt apud Virgilium Eclogâ 10. & alibi, modò primâ productâ ſecundam corripit (quod nunquam faciendùm in proſa cùm quid pronunciandum erit) apud Silium non ſemel: inde *Sicanius*, *Sicania*, *Sicanis* Æthna, & ſi quæ alia deriuata primam producunt ſecundâ correptâ. *Sichæus* primam variat apud Virg. *Sici-*

lia & *Siculus* priores corripiunt, at *Sicelides* Musæ primam necessitate producunt, vt *Priamides*. *Silenus* priores producit: Orpheus in hymnis expuncto epsilon scribit Σιληνὸς, & primam corripit, quod nemo Latinorum fecit, nisi fortè proscriptum à nasutis criticis versum Virgilio vindicare velis:

Quantùm omnis mundus gaudet cantante Sileno.

Sidon vrbs Phœniciæ, primam producit apud Homerum, Latinósque. Crementum anceps est, quod pauci norunt, scribitur enim tum per omega, tum per omicron, quod maximè probatur ex deriuatis, nec pigeat quæso adire Stephanum, & Dionysij Periegetæ doctissimum Scholiastem ad versum 117. Ipse Dionysius corripit versu 912. quem ex Latinis imitatus est Silius Italicus libro octauo:

Βίβλον τ' ἀγχίαλον, καὶ Σιδόνα ἀνθεμόεσσαν.

Stat fucare colus, nec Sidone vilior Ancon.

Deriuata *Sidonius*, *Sidonis*, secundam similiter variant apud Ouidium, Virgilium, alios, quos in Elencho descripsi, monuíque inter pronunciandum attollendum esse crementum illud, quamuis vix damnare ausim, qui corripuerit, tot subnixum firmamentis. Neque sanè omittendum, quod à nemine, vt pleraque alia hactenus obseruatum memini, Σιδόνες pro *Sidoniis* positos primam corripere. Ait quidem Stephanus, ἀλλὰ καὶ Σιδὼν ἐθνικὸν, sed de quantitate nihil. Eam verò elicio ex Homero Iliados 23. versu 743. vbi de cratere affabrefacto loquitur in hunc modum:

Πολλοὶ ἐπεὶ Σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν.

Tyrios porro ſeu Phœnices illos eſſe docet verſus ſequens, qui ſic incipit:

Φοίνικες δ' ἄγον ἄνδρες, &c.

At nemo Homerum hac in parte ſequutus eſt, nam & Valerius Flaccus *Sidōn* viri nomen produxit.

SITIBVNDVS, quemadmodum *ſiticuloſus*, *ſititor*, & alia à ſupino *ſititum* deriuata, ſecundam abſque vlla apud eruditos controuerſia producunt. Vulgatum enim illud eſt axioma certiſſimum, Verbalia in *ibilis*, *ibundus*, *imen*, *imentum*, &c. eamdem habere cum primitiuo ſupino quantitatem, ideóque *moribundus*, *pudibundus*, *ludibundus*, *furibundus*, *gemebundus*, *rubicundus*, *queribundus*, &c. *antepenultimam corripere*. Neque illud omiſit Becmanus de Originibus LL. A *ſititum* fit *ſitibundus*, quâ causâ ſecundam meritò producit. Quare caſtigandus eſt inter cæteros Ioannes Lucienbergius Claſſe tertiâ de quantitatibus Nominum Adiectiuorum, quòd cum citatis modò adiectiuis aliíſque ad extremum *ſitibundus* addidit antepenultimâ correptâ, quaſi verò à ſupino longo non æquè deſcendat atque *ſolabundus*, *ſudabundus*, *iucundus*, *iracundus*, *errabundus*, ac ſimilia. Neque verò eos iuuare poteſt auctoritas Mantuani, Fracaſtorij, Friſclini, & ſexcentorum recentiorum, qui re non accuratè expenſa, affinitate ſimilium adiectiuorum deluſi ſunt. Hæc verò in gratiam Ianuæ Muſarum R. P. Ludouici Caualli addita ſunto, quem hoc nomine à quibuſdam ſciolis reprehenſum audio.

Situla qua ſitim extinguimus, & ſitella primam corripiunt, quod præter allatum etymon demonſtrat Laureæ Tullio Ciceronis liberto verſus adſcriptus, qui apud Chariſium Soſipatrum libro quarto, non expreſſo tamen auctoris nomine, citatur:

Extractam puteo ſitulam dum ponit in horto,
Vlterius ſtandi non habet ille locum.

Plautus quoque, ſi attendas, id docebit, vt Scaligerum, Meliſſum, alióſque recentiores omittam.

Scin' quàm bono animo ſim, ſi ſitulam cepero.
Conicıam ſortes in ſitellam & ſortıar.

Socratis, Hippocratis, Pherecratis, ſimiliúmque penultimam producunt Sidonius, Paullinus, Prudentius, aliíque Græcarum litterarum aut certè quantitatis haud callentiſſimi, quos puer noli imitari.

SOPHIA *ſapientia*, noménque proprium vxoris Iuſtini II. Græcorum Imperatoris, penultimam corripit ſæpius, ſaltem inter pronuntiandum id fieri ſemper poſtulat analogia. Vide Afranium apud Aulum Gellium, Martialem, Virgilium in Ciri, Corippum, vt nihil de Proclo, ſimilibúſque Græcis dicam: non ignoro tamen eamdem penultimam productam fuiſſe ab Auctore Syringis apud Theocritum, Nonno Panopolitâ, Prudentio, & quibuſdam Latinis haud magnæ auctoritatis, quorum verſus deſcribere non eſt operæ pretium. In Martialis epigrammate 104. libri primi cubat grauiſſimum mendum, à nemine quòd ſciam ſublatum, ego vnius litterulæ iacturâ remedium afferri poſſe puto, ſi *Sophonis* legas, non

Sophroni: primam enim in Σώφρων, Σωφρόνιος, Σωφροσύνη, ac similibus nemo nescit produci, alteram verò à primâ corripi. Despauterius ex deprauatissimo illo versu docuit primam in *Sophron*, *Sophronium*, *Sophrosyne* breuiari, quin & alios carpit. Hîc verò Horatianum illud meritò inclamem:

——Vos exemplaria Græca
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Spado, id est eunuchus, & *spadon* id est contractio, spasmus, accentu discrepant & quantitate crementi. At quod ad primam attinet, illam vtrumque vocabulum corripit, quam *spadix* cum cremento producit. *Spartiatæ* penultimâ longâ. Scio S. Gregorium Nazianzenum corripuisse: sed hic à veterum orbitâ recessit sæpe longiùs.

XXIX. Dissertatio.

Statim, Stipendium, Striga, Strigosus, Strigillo, Stylus, Stylites, Stylobates, Stymphalus, Stymphalides.

Statim, quidquid tandem significet, siue illico & confestim, siue constanter & perseueranter, vt argutantur Grammatistæ quidam, penultimam corripit apud idoneos veterésque Poëtas, Afranium, Phædrum, Catullum, Senecam, Martialem, alios: nam Auienum, Auitum, similésque collapsæ Latinitatis scriptores non moror. Versum Plauti in Amphitryone sic quidam

inchoant: *Ita statatim stant signa.* Verùm de Comicorum auctoritate laborandum non est, vbi adultæ ac florentis Reipublicæ tot prostant omni exceptione maiora testimonia.

STIPENDIVM primam variat, atque id etymon docet *à stipe pendenda.* Nam si per synæresim seu contractionem duas syllabas in vnam compingas, tum prima longabitur, vt apud Catullum de Nuptiis Pelei, Sidonium, alios: sin verò ex stipipendio *stipendium* facias recisâ vnâ dumtaxat syllabâ per syncopam, vt nonnumquam accidit, tunc prima breuiabitur, quod reperies in versu quodam Sulpitij Luperci Seruasti, & apud Sidonium Apollinarem, quos citatos habes in Ianua Musarum.

STRIGA, castrense vocabulum, inquit Charisius, interuallum turmarum significans, in quo equi *strigantur*, vnde & *strigosi* dicuntur corpore macilento, primam mihi videtur corripere, quemadmodum & *strigo*, *strigosus*, *strigillo*, &c. Lucilius noster est, si versum eius apud pleró sque recentiores malè habitum sic legas:

Hicce strigosu', bouinatórque ore improbu' duro.

Scio quosdam cumAsseratio emendare. *Hic tricosus*, id est trico. Accedit parodia Virgiliana ex puris iambis:

———laua siue dextera.
Strigare mula, siue vtramque ceperat.

Idem quoque ex versu Iambico Phædri concludas licet:

Namque vbi strigandum est, & vbi pausandum scio.

Phaleucius Mecœnatis litem omnem decidit:

Ninnio videas strigosiorem.

Cui etiam adiungere placuit Ennianum versum apud Nonium Marcellum:

Obducunt, obstant, obstrigillant, obagitant.

Quòd si ad etymon spectes, sicut *strigilis* à stringo, ita ab eodem verbo eâdem seruatâ quantitate deducuntur *striga*, *strigo*, *strigillo*, *strigosus*. Plura de omnibus istis leges in Commentariis Iosephi Scaligeri ad Catalecta Virgilij, quæ ad rem nostram Prosodicam minùs pertinent. Ea pro more suis LL. Originibus intexuit Christianus Becmanus. Quibus non grauabor adiungere versum Ioannis Calceati Benedictini Monachi in Abbatia S. Sulpitij apud nostros Biturigas libro 2. de Passione Domini:

Leproso fieret, scabidisque strigosior Iris.

STYLVS cùm cælum seu graphium significat quo in tabulis cereis exarabant, primam semper apud Latinos corripit, Græcè στύλος. Horatium tantummodo Prudentiúmque testes citabo:

Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sunt.
Adest acutis agmen armatum stylis.

At cum columnam significat, vnde *peristyla*, seu *peristylia*, *stylites*, *stylobates*, *epistylium*, *prostylus*, *decastylus*, *octastylus*, & similia, primam apud Græcos variat, ideóque licèt in prosa accentum habeat acutum, in stricta tamen oratione cùm producitur, circumflexum adsciscit, vt patebit in hisce versibus, quos frustra apud vulgares Prosodiographos reperias: Pausanias Eliacon primo id docet:

Στῦλος ἐν οἰνομάου πελὶ ποτ' ἐνοῦσα δόμοις.

Accedit Euripides in Antiopâ, cui verba subiungam oraculi cuiusdam apud Clementem Alexandrinum libro primo Stromaton:

Κομῶντα κισσῷ στῦλον Εὐίου θεοῦ.

Στῦλος Θηβαίοισι Διώνυσος πολυγηθής.

De *Symphalo* plura non addam ex Lucretio, Ouidio, Plauto, Martiale, Statio, Senecâ, Homero Iliados 2. v. 608. vbi & Ionicè Στύμφηλον vocat: hoc vnum moneo vix tantam testium nubem sufficere, vt nonnulli ab inueterato errore reuocentur. Nam & ipse Aluares aliàs accuratissimus, docet *Stymphalides* variari, cùm tamen versum Virgilio seu potiùs Ausonio tribui solitum de duodecim Laboribus Herculis, vnde omnis deceptionis ansa, sic legi oporteat:

Stymphali pepulit volucres discrimine quinto.

XXX. DISSERTATIO.

Sublacum, Suffragor, Sugillo, Susa, Suspicio, Sycomorus, Sycophantia, Symphonia, Sympinum, Symplegades, Syracusæ, Syra.

SVBLACVM oppidum prope Anienis fontes, secundam videtur corripere, quamuis Itali vulgò penultimam attollant. Inde enim in libros Ecclesiasticos mendum irrepsisse arbitror. Ecclesiastici quoque Poëtæ secundam in *suffragor* ac *suffragium* corripiunt, atque inter cæteros S. Prosper epigram. 110. & Paulinus in Panegyrico.

Sugillo liuido colore inficio, siue reprehendo, primam apud Prudentium rectè producit, vbi Fabritius suggillo scribit. Millieus quoque noster eamdem produxit :

Æthiopum accitam sugillet fœdere gentem.

SVSA Metropolis Susianæ, à qua *Susis* aula Sidonio, & Σουσῶν χθῶν Dionysio, *Susinum* oleum Plinio &c. primam producit, vt etiam *Susana* vrbs Hispaniæ. At *Susanna* Danielis primam variat apud Ecclesiasticos Poëtas. S. Gregorius carmine secundo vocat Σωσαίννω. *Suspicor*, *suspicax*, *suspicio* verbum, secundam corripiunt, quæ producitur non tantùm in *suspirium* & *suspiritus*, sed etiam in *suspicio* seu *suspitio suspitionis*, quocumque modo scribas. Quod sanè non tantùm probauerim ex etymo, quod teste Iulio Cæsare Scaligero cap. 2. lib. 7. de re Poëtica, & libello de Comicis dimensionibus, ex *suspicitum suspicitio*, tum coalescentibus duabus in vnam vocalibus *suspitio* prodierit : quid enim si syncopem siue abscissionem hîc intercessisse suspiceris, non verò crasim siue contractionem ? verùm potiùs id persuadent omnibus eruditis Plauti, Terentij, Publij Syri mimographi, Martialis, Iuuenci, Ausonij, aliorúmque clarissima testimonia. Vt procul ablegandus sit Despauterius, qui in illis locis *suspectio* subrogandum clamitat, obelóque configendus videatur Cornelij Nepotis versiculus libri 2. 192. in quo secunda illa corripitur, nisi ad synizesim confugere velis. Videndi quoque in eamdem rem Erasmus in Terentium, Philippus Pareus in Lexico Plautino, Becmanus in Orig. LL. Gerardus

Ioannes Vossius libro 2. de Analogia cap. 32. qui *ſuſpitionem* aliunde, quàm à *ſuſpicitum* arceſſit his verbis: A *ſuſpicatum* ſimiliter eſſet *ſuſpicatio*, pro quo per ſyncopem dicitur *ſuſpicio* antepenultimâ longâ, vt defectus ſyllabæ moduli incremento quodammodo compenſetur.

SYCOMORVS penultimâ productâ pronuntiari debet ſaltem in ſacris, vt diſces ex hoc ſchediaſmate. Moroſus, moralis, moriger, moratus, & ſimilia deriuata à cremento nominis mos primam producunt, quemadmodum & morio, morologus, & moror, id eſt inſanio, à Græco *μωρὸς*, id eſt ſtultus, deducta, necnon apud Poëtas Latinos morus arbor, & morum fructus.

Sanguineis frontem moris & tempora pingit:
Virgilius.

Ardua morus erat gelido contermina fonti:
Ouidius.

Græcè verò morus arbor dicitur *μορέα*, & fructus eius *μόρον* vel *μόρος* primâ correptâ, vt tum ex ipſis veterum libris patet, tum maximè ex verſibus Sophoclis & Nicandri apud Athenæum.

Ἔπειτα φοινίξαντα στρογγύλον μόρον.
Καὶ μορέης, ὃ παισὶ πέλει μείλιγμα νέοισι,
Γρώνην ἐπαγγέλλουσα βροτοῖς ἡδεῖαν ὀπώραν.

Neque verò hoc loco prætermittenda Henrici Stephani obſeruatio paginâ 1666. Tomi ſecundi Theſauri Linguæ Græcæ, vbi cùm dixiſſet etiam *μῶρον* in probatis codicibus nonnumquam legi, & *μωρόσυκον* ac *μορόσυκον*, *συκόμωρον* ac *συκόμορον*, *συκομωραίαν* & *συκομορέαν* vtroque modo reperiri, tamdem hoc ſubdit: verùm *μῶρον* per omega ſcriben-

dum Plinij auctoritate probari posse videtur, quippe qui *morum sapientissimam arborum* vocans, ad nomen tamquam ex aduerso impositum respexisse dici fortasse queat. Accedit Dioscorides, qui *συκόμορον* dictam putat *διὰ τὸ ἄπυον τῆς γεύσεως*, quasi *fatuam ficum* dixeris.

Certè huic explicationi apertè patrocinatur sanctus Gregorius Romanus Pontifex cap. 17. libri similiter 17. Moralium in Iobum, aliíque vulgò interpretes sacri ad caput 19. Euangelij sancti Lucæ, vbi *συκομωραία* vertitur Latinè *Sycomorus*: nam in aliis Regum ac Prophetarum locis, vbi vulgata editio habet *sycomorum*, Græci LXX. Seniorum codices *συκάμινον* exhibent, cuius penultima corripitur in illo senario apud Athenæum:

Ο' *συκάμινος συκαμίνους ὡς ὁρᾷς φέρει.*

Quare cùm in pronuntiatione huius vocabuli attollere vel deprimere penultimam licitum sibi plerique existiment, saltem apud prophanos scriptores; eorum nihilominùs partes libentiùs sequor, qui in lectione Euangelij sanctorúmque Patrum atque Ecclesiasticorum Tractatorum, *sycomori*, quam passim *fatuam ficum* interpretantur, penultimam vbique attollunt: immo & in quibuscumque aliis veterum recentiorúmque scriptis, cùm eâdem planè lege teneri debeat compositum, quâ ipsius simplex ac primitiuum obstringitur, quod à Græcis ad Latinos deriuatum natiuam suam quantitatem, vt de lino, pisis, ac quibusdam aliis obseruauimus, omnium consensu intendit. At *Sycaminus*, *Sycophantia*, *Symphonia* pe-

nultimam breuiant, quam producunt *Sympathia*, *Sympinum* & *Symplegas*. *Syracusius* secundam tertiámque producit, Συρακούσιος: *Syracosius* verò Συρακόσιος tertiam corripit. Ita sæpe Theocritus, quem imitati sunt Virgilius, Ouidius, Silius, alij, vt pluribus in Elencho docuimus, monuimúsque adolescentes, ne in fraudem inducantur Ausonij libello de Vrbibus, & Nonni Panopolitæ 9. Dionysiacon in eruditis versibus:

Quis Catinen sileat, quis quadruplices Syracusas?

Νῦσος ὅπι γλώσσῃ Συρακοσσίδι χωλὸς ἀκούει.

Syria, *Syrus*, *Syrius*, *Syrissa*, *Syrophœnix*, & si quæ alia, primam corripiunt, quam producit *Syra* insula Cycladum Pherecydis patria, quæ & Σῦρος. Audi Eustathium, ἥης μνηνύει κ͂ τὸν Γεωγράφον, Strabonem intelligit, τὴν πρώτην συλλαβήν. Eadem fermè Stephanus. Quare apud Homerum Odyssеæ 15. 402. vbi Συρίη passim habetur, legendum arbitror:

Νῆσός τις Σύρη κικλήσκεται, εἴπου ἀκούεις
Ορτυγίης ἐφύπερθεν, &c.

In Epithetórum farragine existimauit Dinnerus eiusdem mentionem fecisse Theocritum Idyllio decimo, cùm ibi de puella Bombyca, quam omnes *Syram* vocabant, loquatur, non de insula.



XXXI. DISSERTATIO.

Tablinum, Tabliopa, Talaſius, Tanager, Taprobane, Tarichea, Telonium, Temetum, Tentyra, Theodoſius, Theodas.

TABLINVM, ſi auctorem Theſauri LL. & Capinum audias, penultimam producit, quam alij corripiendam cenſent: licèt enim *tablinum* ex tabulino, ſicut *figlina* ex figulina dictum ſit, aliud tamen ſunt *figuli*, & aliud *tabula*. Donec ergo idonei alicuius Poëtæ teſtimonium proferatur, vt volueris, per me licet: quod iam ab aliquot annis docueram poſt Appendices ad Catholicos Indices pag. 283. *Tabliopa* per iocum Anthologiæ libro ſecundo dicta Aleatorum Dea, priores corripit, nam & *tablis* pro tabulis vſurpauit Drepanius epigrammate primo, vt *lamnis* alij pro laminis, & *lardum* pro laridum.

Geſtantémque ſacris iura ſuperna tablis.

Talaſius ſiue *Talaſio* Deus apud Ethnicos nuptiarum præſes, non tantùm penultimam, ſed & priores corripit, ſi vera eſt ſententia Plutarchi in Problematis, qui ἀπὸ τῦ ταλασίου, id eſt à lanâ, vel ἀπὸ τῦ ταλαροῦ à qualo ſeu quaſillo deducit. Latini Poëtæ Catullus & Martialis vt ſecundam protrahant, geminant literam ſ. Errare videntur qui aſpirant: neque enim placet Becmani, aliorúmque originatio, qui ἀπὸ τῆς θαλάσσης θαλάσσιον, hoc eſt, marinum aut pontigenam dictum volunt.

Quid ſi potiùs *Talaſſio* ille, cui Herſilia ſeruabatur iam inde à primis Romuli temporibus, vox ſit Aborigenum in veteri nata Latio, καὶ ἐπιχώριος.

TANAGER Lucaniæ fluuius ſeu torrens, & *Tanagra* vrbs, non tantùm primam, vt conſtat ex Orpheo, Virgilio, Statio, aliiſque, ſed etiam ſecundam corripit. Docet hoc non ſolùm Angelus Politianus aduersùs Mantuanum (qui non bene produxit *Tanager*, cùm *Tanagrus* in eius locum ſubrogari potuiſſet) ſed etiam Sophilus apud Athenæum in Dipnoſ.

Πρὸς τὴν Ταναγρικὴν δεῖ γὰρ ἵν' οἰκεῖ κατακλισθείς.

Tantidem penultimam producit: neque Varro Eumenidibus apud Nonium in Miras corripuit, ſed legendum diuiſim *tanti idem*, vt ſenſus ſit, *quaſi non tanti*, id eſt tanto pretio *idem* curare ſoleat aut poſſit vulgaris aliquis Medicus:

Hoſpes, quid miras nummo curare Serapim?
Quid? quaſi non curet tanti idem Ariſtoteles.

Quare neque cum Giffanio confugiendum puto ad Heroïcum Diphilium ſeu Chærilium, cui extrema deeſt ſyllaba, neque Varronem reor Ennio aduerſari, qui rectè ſcripſit:

Tantidem quaſi fœta canes ſine dentibu' latrat.

TAPROBANE longè meliùs corripitur: nam præter Ouidium Elegiâ ſextâ libri primi de Ponto:

Aut vbi Taprobanen Indica tingit aqua.

Dionyſius Periegetes ſimiliter corripuit:

Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

At verò Alexander quidam Lychnus vetus ſcriptor apud Stephanum ſic canit:

Νῆσος τετράπλευρος ἁλιστέφανος παρεβαίνη
Θηρονόμων πίπληθεν ἐυῤῥίνων ἐλεφάντων.

Tarichea Iudææ ciuitas, penultimam corripit, vt docet apud Stephanum Iosephus, ταριχία γὰρ, vt ipse subdit, ὅτι τὸ πρᾶγμα παρὰ τὸ ταριχεύω: antepenultimam verò producit, siquidem à τάριχος *salsamentum*, de quo vide Prosodiam nostram Græcam, & Thesaurum L L. emenda, qui penultimam *tyrotarichi* corripit. His ego similia multa possem adiungere vulgò haud cognita, sed manus describendo fatigata portum quærit. *Telonium* penultimâ breui pronunciandum est, *teloneum* longâ: hoc enim Græcè est τελώνειον, illud τελώνιον. Vide pag. 256. Eruditi S. S. Lectoris, & pag. 277. Appendicis ad Catholicos Indices ipsósque Catholicos Indices pag. 187. *Temetum* Horatio, Iuuenali, aliis priores producit, quod etiam de suo Plauto profitetur Pareus in Lexico. Idem quoque probant *abstemius* & *temulentus*. Afranij citatur Iambicus, quem Prudentio ac Capellæ opponam libentiùs, quàm Politianum aut Scaligerum:

Pol magis istius temulenta futilis.

Vnde patet incuria Calepiniani Lexici consarcinatorum, qui correptis *temeti* prioribus multos in graue peccatum pertraxerunt.

TENTYRA seu *Tentyris* vrbs aut insula Ægypti, καθαρτικὴ τῶν κροκοδείλων Stephano dicta, cuius incolæ *Tentyritæ*, vel vt quidam recentior Poëta finxit *Tentyridæ*, penultimam corripit, quemadmodum discimus ex Iuuenale satyrâ 15. At locus Thraciæ eodem nomine dictus penultimam producit apud Ouidium primo libro Tristium elegiâ

elegiâ nonâ. Cuius diuersæ admodum quantitatis causám afferre debuerant Prosodiographi, ne toties incautos deciperent.

Saltus ab hac contrà breuis est Tentyra petenti.

Terginum lorum ex crudo corio, penultimam corripit: sic enim persuadet analogia, nec aduersatur Plautus. Lucilij versum, in quo alij *troginus*, aut *terginus* agnoscunt, sic ego concinnandum reor:

Cuiâ operâ terginu' calix per castra cluebat.

Thalysiades Iliados 4. & *Thalysia* festa ac primitiæ, secundam producunt: Theocritus Eidyllio septimo:

Τᾷ Δηοῖ γὰρ ἔτευχε θαλύσια ὁ Φρασίδαμος.

Arator primam in *themate* produxit, imposuítque Despauterio pag. 442. Smetio, aliísque, qui si vel Græciam de limine salutassent, fucum illico fuissent odorati. *Terina* insulæ penultimam breuiant lexica. Tu adi Stephanum, apud quem Lycophron:

Αἴγυια δ' εἰς Τέειναν ὀκταυσθλώσεται.

Themiscyra vrbs, penultimam producit, auctore Apollonio libro 2. Argonauticon:

Ἔνθα Θεμισκύρειαι Ἀμαζόνες ὡπλίζοντο.

De nominibus à Θεὰ & Θεὸς profectis hæc paucis perstringo. I. Doricam τὸ εο in ευ mutationem plerumque locum habere: sic *Theudosius* pro Theodosio, Θευγένης & Θεῦγνις pro Theagene & Theognide, & vt quidam parum circumspectè sentiunt, *Theudoricus*, *Theudoris* & *Theudorides* pro Theodorico, seu potius Theoderico aut Theuderico, quæ non Græcam, sed Germanicam sapiunt

originem. II. Omicron quod ſecundam occupat, nonnumquam neceſſitate produci, vt in *Theophila* & *Theophorus* attentauit Martialis. III. Primæ nonnumquam inſeri iota, vt producatur: ſic *Theiodamanteus* verſum inchoat apud Propertium. IV. De *Theodulo* contra Gauantum vulgaris apud quoſdam pronunciationis patronum, nonnulla diximus pag. 278. Appendicis ad Catholicos Indices. *Theodas* Act. 5. penultimam corripit, vt habes pag. 256. Eruditi S.S. Lectoris.

XXXII. DISSERTATIO.

Thermodon, Thermopolium, Thermopylæ, Theſmophoria, Theſpia, Threiſſa, Thymiama, Tiberius, Tiberis, Timotheus, Tinea, Tinus, Typhis, Tipula, Tollutim, Topiarius, Torcular.

THERMODON fluuius Amazonum notiſſimus, triſyllabωs ſemper ſcribitur: vnde vel maximè litteratores illi, in quibus Smetius, Kirchnerus &c. peccare noſcuntur, qui *Thermodoon, Thermodoontiacus*, &c. ſcribunt: alioquin ſyllaba, quæ ſemper longa eſt, corriperetur: Græcè enim ſcribitur Θερμώδων per omega ſemper, numquam per omicron. Quòd ſi Θερμοδόων Græcè diceretur, contractum eſſet Θερμοδῶν, non Θερμώδων. Adde quòd ne vnum quidem proferre verſiculum queunt, quo in eorum opinionem pertrahamur. Neque verò nouus hic error, aut pronuper

natus, ſed iam inde ab ipſis Seruij Grammatici temporibus, quem vide in ſequentem verſum 659. lib. 11. Æneidos, qui ſpondaïcus eſt:

Quales Threïciæ cum flumina Thermodontis.

Ouidius & Silius, cum Q. Calabro, Tryphiodoro, aliiſque Græcis tum Poëtis tum Grammaticis, opinioni noſtræ ſuffragantur egregiè.

Et tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ.

Perſtrepit & tellus, & Amazonius Thermodon.

Καὶ τό τε Θερμώδοντος ἐπ' εὐρυπόροιο ῥοάων.

Thermopolium, thermopotæ, Thermopylæ, penultimam breuiant, & in Trinummo apud Plautum, niſi fallor, *Thermopoto*, id eſt calidam potionem ebibo, quamuis Theſaurus L.L. penultimam attollat, ac ſi eſſet vox hybrida ex Græco nomine θερμὸς & Latino *poto potas* conflata: *Theſmophoria* Cereris ſacra; *Theſmothetæ* Athenis iudices, *Theſpia* oppidum Bæotiæ apud Strabonem aliôſque ſolam primam producunt. Hinc *Theſpiaci* luci & *Theſpiades* Muſæ. Aduerte autem *Theſpia* nomen ſingularis numeri penultimam producere apud Homerum, inſertâ alterâ vocali: γράφεται διὰ τοῦ ι, verba ſunt Stephani de Vrbibus, καὶ ἐκτείνεται καὶ συστέλλεται παρὰ Κορίννῃ; & in quodam epigrammate Philiadæ. Tum ſubdit, πληθυντικῶς δὲ Θεσπιαὶ ὀξυτόνως. καὶ θαῦμα πῶς τὸ ἐθνικὸν διὰ διφθόγγου γράφεται.

Obſeruandum quoque *Thracis* fœmininum eſſe *Threiſſam* Virgilio, ſiue *Threſſam* Horatio, vt Creſſam, & à Dionyſio non ſemel, Nicandro, Calabro, Panyaſide, aliiſque ſecundam in Θρηΐκες & Θρηΐκιος produci, contra omnes dialyſeos regulas. Quod ſanè non ignorauit Stephanus, qui

& hunc verſum ſubdit :

Ανέρα δ' Τροίη Θρηίκιον οὔτι φορήσῃ.

A Latinis non memini vſurpatam hanc fuiſſe licentiam.

THYMIAMA ſolam antepenultimam corripit, *thymiaterium* præterea penultimam. Sophocles in Oedipo Tyranno, & Diodorus apud Athenæum docebunt Mantuanum, Fillolum, & quoſdam alios, quanta ſit prima in illis vocibus : quámque appoſitè Deſpauterius pag. 500. Edit. Roberti Stephani dixerit, *odor eſt ſuauiſſimus thymi naturam referens.*

Πόλος δ' ἐμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει.

Πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνεις.

Neque verò hîc opus eſt inculcare θύμος *thymum* herbam accentu & quantitate diſcrepare à θυμὸς *animus, ira. Tiberis* priores corripit, Θύμβρις etiam Dionyſio aliiſque Græcis, quemadmodum & *Tiberius.* Sidonius :

Poſt Capreas Tiberi, poſt turpia numina Cai.

Qui tamen abuſus conceſsâ ſibi facultate quiduis pro libito audendi, ſecundam in *Tiberi* produxit alio in verſu, quem vnicum, etſi μείουρον ac debilem indoctis obtrudit Smetius. Monendi potiùs fuerant apud Nonnum, Corippum, alios primam nonnumquam neceſſitate produci in *Tiberius*, quæ etiam eumdem adegit Nonnum, vt mediam τῆς Τιβεριάδος produceret.

TIMOTHEVS. Vide pag. 236. Eruditi S. S. Lectoris. *Tinea* Horatio, Ouidio, Martiali, Iuuenali, Claudiano priores corripit, Sedulius ac Serenus primam auſi producere : ſic *Tinias* fluuius

apud Silium libro octauo. *Tintino* & *tintinno* veteribus vſurpata, vnde *tintinnabula* & *tintinnaculi*, niſi fortè à *tinnitum* tinnitabulum, tum *tintinabulum*. *Tina* vas vinarium, Scaligero primam producit, & *tinus* ideſt laurus ſilueſtris ex lib. 4. Georg.

Ipſe thymum tinóſque ferens.

Sic namque legit Philargyrus pro vulgato *pinos*. *Typhys* rector Argoæ ratis, primam ſimiliter protrahit, & τῖφος vliginoſus locus, vnde Grammatici deriuant *tipulam* inſecti genus illud, quod in riuis & fontibus viſitur ſummâ celeritate percurrens aquas, cuius nihilominus primam corripuit Scaliger. In Plauti verſu ſunt qui *ſtipulam* legant, non *tipulam*.

Neque tipula leuior eſt quàm fides lenonia.

Tollutim à tollendis pedibus deriuat ſcribítque Becmanus, cùm tamen *tolutim* ſcribatur etiam doctiſſimis, vnde *tolutares* manni, & *tolutarij* equi, quos etiam Aſturcones & gradarios vocant, & primam corripiat aduerbium illud apud Lucretium:

Omne iter euadit ſpatiúmque accliue tolutim.

Sunt qui cum Nonio à *volutim* manare velint, rectiùs qui ſicut à voluo *volutim*, ita à tollo *tolutim*, aut potiùs à verbo Græco τλυπεύω *conglomero, conglobo, connecto*, ſeruatâ aduerbiorum eiuſdem rationis quantitate, non verbi primigenij, de quo conſule Odyſſeæ 1. 4. 14. 19. & 24. Apud Plautum *tolutim badiſſare*, & apud Næuium *tolutiloquentia* leguntur.

O peſtifera, fera, trux tolutiloquentia.

TOPIARIA ars è Græco τόπίον, quod etiam τόπιον

dicitur, priores duas breuiat, hinc noster Auberius Poëta cultissimus:

Quod cancellatâ struxit Topiarius arte.

TORCVLAR, quod Sosipater aliíque Γραμματικῶν παῖδες etiam *torculare* appellant, secundam habet admodum controuersam.

Qui vulgò producunt inter pronuntiandum, hæc in aciem educere poterunt. Primò auctoritatem Prisciani summi, vt fatentur omnes, Grammatici, qui in libello de Accentibus *torcular, lacunar, puluinar* penultimam producere docet: sed hic in eodem libro crementum nominis *mulier* produci contendit, & in aliis multis insigniter peccauit: vnde cum Despauterio multi denegant libellum hunc fœtum esse Prisciani. Secundò versus proferri poterunt Poëtarum, Fortunati, aliorúmque, sed vel recentiorum, vel exiguæ apud doctos viros auctoritatis.

Calcaturus erat qui torcularia solus.

Fortunatus libro 8. Carm. 5. v. 169. Verùm in Editione Treuirensi in notis R.P. Chr. Broueri S.I. habetur *qui solus torcular altum:* quæ vera est lectio.

Erexit turrim, torcular fodit in illâ.

Riga in Lucam.

Tertiò succenturiabunt Bedam, Tortellium, Nebrissensem, Auctorem Thesauri Linguæ Latinæ, Nestorem, Stoam, Smetium, plurimósque alios recentioris memoriæ scriptores.

Alij ex aduersâ parte doctissimi huiusce ætatis homines primò tutantur se auctoritate grauissimâ Nonij Marcelli, qui *torcular* à *torculo*, sicut

ſpecular à ſpeculo deriuatum aſſerit. Secundò fauet analogia & ſimilitudo vtriuſque vocis *torcular* & *ſpecular*. Tertiò, audiui qui diceret corripi à Diuo Paulino, ſed verſus mihi nondum occurrit. Quartò, ita ſentiunt Sulpitius & Ferrettus, quos laudat & ſequitur Deſpauterius, quem vide pag. 555. editionis Stephani. Quintò, iis adiungendi Tirinus, Gauantus, Calepinus, Iulius Scaliger, Becmannus, Voſſius, Glonerus, Cauallius, aliíque plurimi non vulgaris inter eruditos auctoritatis.

Egò verò, vt hîc quoque ſententiam interponam meam, cum Emanuele Aluare in Compendio & quibuſdam aliis cenſeo penultimam illam variari poſſe: produci quidem, vt inueteratæ apud multos conſuetudini morem geras; corripi verò, vt rationi: nam & *torculus* funis & *torculum* & *torcularium* penultimam abſque vlla controuerſia corripiunt.

XXXIII. DISSERTATIO.

Trachin, Trachonitis, Trachea, Tragœdia, Tragula, Tricæ extrico, Troglodytæ, Trygon, Trygonium, Typhus, Typhœus, Tyro, Tyroglyphus, &c.

TRACHIN, *Trachinius*, *trachea* arteria ſeu fiſtula, *Trachones*, colles quidam prope Damaſcum, vnde *Trachonitis* regio, *trachurus* piſcis, & ſi quæ alia à τραχὺς aſper, ſalebroſus, Io-

nicè τρηχὺς, primam certo certiùs producunt. Corrigas ergo licèt Dedekindum ſic capite ſecundo libri primi canentem :

Hauriat ille tua ſpiracula dira trachea.

Eiuſque carminis loco alterum Lygei ſubſtitue:

Vt videas in quo trachea diſtet ab vſu.

Ἐκπροφυγεῖν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός.

Anthologia. At τράχηλος collum primâ breui, quemadmodum & *Tragœdus*, *tragema*, *Trapezus*, *trapezita*, *trapetum*, & ſi quæ alia. *Tragula* quaſi trahagula, telum vel rete quoddam, *trama* ſubtegmen, & *trames* à trameando, vt volunt, primâ longâ. Exemplis parco, ne quid nimis.

TRICÆ vrbs Apuliæ, vt ferunt, à Diomede deleta, ſeu impedimenta, nugæ, res viles, nulliúſque pretij, *trico*, *tricoſus*, *extrico*, *intrico*, *inextricabilis*, &c. producunt ſyllabam *tri*, vt deſcriptis in Elencho noſtro Lucilij, Afranij, Virgilij, Horatij, Martialis, aliorúmque verſibus firmaueram : verendum tamen ne *tricones* aliqui in his adhuc tricis tricari velint, inficeto quorumdam Grammaticulorum etymo nixi, qui ἀπὸ τῶν τριχῶν deſcendere autumant, licèt præter quantitatis apertiſſimum diſcrimen ipſa quoque elementa reclament. Cætera quæ de vocabulis à *tri* inchoatis obſeruaui, præterire nunc cogor, ne longior ſim, tranſiliámque metas mihi præſtitutas.

TROGLODYTÆ populi non longè à rubro mari incolentes, à ſpecubus ſeu cauernis in quibus habitabant, Τρωγλοδύται à Græcis dicti, & animalia quæ dicuntur ab Ariſtotele τρωγλόδυτα, penultimam

mam abſque vllâ dubitatione corripere debent, quidquid cum mendoſis dictionariorum quorumdam centunculis tinniant nonnulli, qui libri ſecundi Paralipomenon capite duodecimo peſſimè pronuntiant vocem illam, futili neſcio quâ perſuaſione ducti, nam neque rationem vllam, neque auctoritatem prætexere poſſunt, quæ nobis abunde ſuppetunt.

Primò vt accentum omittam, qui librariorum culpâ nonnumquam fallit, ſtat à me Homerus, qui in Batrachomyomachiâ in τρωγλοδύτης nomine proprio cuiuſdam muris, & in τρωγλοδύτῳ cauernam ſubeo penultimam corripuit. En ipſos eius verſus 52. & 212. aut 205.

Ἠ καὶ τρωγλοδύνοντα κατὰ τρώγλην ἐρεείνῃ·

Τρωγλοδύτην πέτρῳ μυλοειδέϊ τρῶσεν ἐπιφθάς.

Secundò vel ipſis tironibus notum Ammodytes, Pſammodytes, adytum, δύσις, & ſimilia deriuata à δύω penultimam corripere.

Ammodytes, ſpináque vagi torquente ceraſtæ:

Lucanus libro nono, & Virgilius libro quinto:

Dixerat hæc, adytis cùm lubricus anguis ab imis.

Ἄγχις ἐς αἰπαλίην τε καὶ ἀκάματον δύσιν ἔλθῃ.

Calaber Smyrnæus.

Πέπλους τε νεῖ, λινοπλόκους τ' ἐπενδύτας.

Sophocles.

Ἔνδυτα καὶ ξανθοὺς ἐκρέμασε πλοκάμους.

Anthol. Neque verò omittendum in Regiis LXX. citato Scripturæ loco ex Hebræis fontibus, pro Τρωγλοδύται & Αἰθίοπες occurrere, Σουχιεὶμ καὶ Χουσιείμ.

TRYGON peculiarem extra ordinem meretur locum, quemadmodum olim ſcribebamus; vt enim ſignificationem ambiguam ſortita eſt, ita & quibuſdam quantitatem viſa eſt habere communem atque verſatilem, quod modò nobis examinandum venit. Dico itaque τρυγόνα cum *paſtinacam*, ſeu *turturem*, piſcem lethali cuſpide præditum ſignificat, primam ſemper producere, quod tum ex Nicandro in fine Θηριακῶν, tum ex Oppiano Ἁλιευτικῶν libro ſecundo, decies minimùm protrahentibus adeò manifeſtum eſt, vt opus non ſit eorum verſus hîc exſcribere. Ex Latinis idem firmat Auſonius in Moſellâ, eiúſque commentator doctiſſimus:

Corroco, lethalis trygon, molliſque plateſſa.

Mantuanus libro primo Parthenices primam quidem rectè produxit, at in cremento lapſus eſt. Errauit quoque Philippus Pareus in Lexico Plautino, cùm *trygonum* piſcem, de quo Comicus Captiueis 4. ſcenâ 2. verſu 71. per Latinum i ſcribit. At cùm τρυγὼν *turturem* auem ſignificat, primam quoque producit apud veteres. Theocritus certè bis produxit Eidyllio partim 7. partim 15.

Ἄειδον κορυδοὶ καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών.

Τρυγόνες ὀκταυστιῶντι πλατυάσδοισαι ἅπαντα.

Antiphanes apud Athen. vt nihil dicam de Nicandro, Oppiano, aliis:

Ἀφύας τε λεπτὰς ταῖς δὲ, καὶ τὴν τρυγόνα.

Τρυγόνιον Σαβακῶν ἄνθημα Σαλμακίδων.

Anthologiæ libro tertio de quadam muliere, quam Latinè *Turturillam* dixeris. Ab iis verò

omnibus diffidet S. Gregorius Nazianzenus, qui carmine tertio, quod in laudem Virginitatis scripsit, primam huius vocis bis eodem versu corripuit:

Πανθάνομ' ὡς πτερόεσσα τρυγὼν τρυγόνος φιλίοιο.

Nec desinam monere τρύγιον atramentum ex fæce, τρυγοδαίμονες Poëtæ peruncti fæcibus ora, τρυγῳδὸς & τρυγῳδία apud Aristophanem, & reliqua à τρὺξ τρυγὸς primam corripere. Oraculum;

Πῖν' οἶνον τρυγίαν, ἐπεὶ οὐκ Ἀνθηδόνα ναίεις.

Quæ de *Tuberibus*, *Turonibus*, *tudibus*, *Tudertibus*, *Tyanis* & *tympanis* annotaueram, in aliud differenda tempus, ne libellus excrescens in nimiam molem, Enchiridij nomen amittat.

TYPHVS, fumus, tumor, iactantia, arrogantia primam producunt & penultimam. ἄτυφος & ὑπότυφος in versibus Timonis, quos citant Diogenes Laërtius, Sextus Empiricus & Aristoteles. Sic *Typhon* ventus vorticosus, Osiridis frater, & Gigas quidam apud Virg. Ouid. Luc. alios. At cùm Τυφάων seu Τυφωεὺς Gigas ille dicitur, apud Græcos Latinósque primam corripit. Virgilius 1. Georg.

Cœúmque, Iapetúmque creat, sæuúmque Typhoëa.

Quem versum malo fateri syllabâ vnâ abundare, cùm sequatur: *Et coniuratos*, &c. quàm cum multis ω & ε in vnam syllabam contrahere, quod etiam moliuntur in versu Lucani, cuius finem occupat *Typhoëus*, non *Typhœus*, neque enim vmquam epsilon cum ω, sed cum υ, coalescit in diphthongum.

Nate Patris summi, qui tela Typhoïa temnis: Virgilius primo Æneidos, expuncto iota, vt in similibus adiectiuis, in ειος fieri amat, ex penultima, quæ alioquin semper longa, maximè in prosâ, quemadmodum sæpe monuimus. Cætera premo, præter versum Oppiani libro 5. Halieuticon non vulgaris notæ:

Εἰλεῖται λαβροῖσιν ὑπ' ἀσθμασι Τυφαῶνος.

TYRO mulieris nomen, de quâ Homerus Odysseæ 2. vers. 120. & Propertius elegiâ 21. libri 2. *tyrocnestis* id est radula, *tyrotarichus* opsonij quoddam genus, *Tyroglyphus*, dux quidam murium in Batrach. *tyrocomium* casceale, τυρόεις seu τυροῦς, *panis caseo conditus*, & si quæ alia orta à τυρὸς caseus, primam producunt, vt penultimam *butyrum*, de quo plura in Ianuâ Musarum, *epityrum* apud Iulium Scaligerum, κατάτυρος Archestrato apud Athenæum, & similia plurimùm obseruanda. Homerus produxit Iliados 11. v. 633. Odysseæ 4. 9. 10. 20. & alibi, duos ex iis seligo 219. libri 9. & 69. libri 20. cum totidem Iambicis Euripidis & Anaxippi:

Ταρσοὶ μὲν τυρῶν βεῖθον στείνοντο δὲ σηκοί.

Τυρῷ καὶ μέλιτι γλυκερῷ καὶ ἡδεῖ οἴνῳ.

Καὶ τυρὸς ὀπίας ἔστι καὶ Διὸς γάλα.


Θυίαν, κρεάγραν, τυροκνηστιν παιδικήν.

Adderem Aristophanem, Epigrammatarios, multósque Comicos ex Dipnosophisticis Athenæi, cæterósque Poëtas Græcos, si res exigeret. Quare per mihi mirum accidit iis omnibus omissis tot Græcorum Poëtarum versibus, in Thesauro Græcæ Poëseos pessimè à Librariis habi-

tum & corruptum vnius Batrachomyomachiæ verſum in certiſſimam fraudem imperitorum, imò & eorum qui docti ſibi videntur atque ſufferi, deſcriptum fuiſſe. Hunc verò verſum etiam in editione Henrici Stephani vitiatum, ſublatâ δὲ particulâ prorſus inutili, ſic reſtituendum ſentio :

Οὐ τόμος ἐκ πτέρνης οὐχ ἥπατα λευκοχίτωνα,
Οὐ τυρὸς νεόπηκτος ἀπὸ γλυκεροῖο γάλακτος,
Οὐ χρηστὸν μελίτωμα, τὸ καὶ μάκαρες ποθέουσι.

Adi locum ipſum, & fateberis ipſemet Æſculapio fauente adhibitam medicinam, ſublatúmque fucum, qui ſæpe pluribus impoſuit. Neque mihi præterea verſum Theocriti Idyllio primo obiicias, in quo prima πρώϊνος videtur corripi, ſed ibi latere ſynizeſim Homero, aliiſque principibus Poëtis in eiuſmodi nominibus quæ contrahuntur familiariſſimam iampridem admonui. Neque poſthac ſpero quemquam futurum, qui doctis *butyri* penultimam protrahentibus litem intentare velit. De *Tzaconibus* corúmque etymo, ex Codino, Nicephoro Gregorâ, ac ſimilibus recentioribus Græcis plura aliàs.



XXXIV. DISSERTATIO.

Vacillo, Varus, Varico, Vascones, Vaticanus, Vehemens, Velitatio, Velitræ, Venusinus, Vesuuius, Vesi, Vettonia, Vietus, Viticula.

VACILLO primam corripit apud Ausonium, Terentianum, & Lucretium libro tertio, præsertim versu 480. Idem tamen paullò post v. 503. videtur producere, nisi legas *vaccillans*, aut substituas cum Lambino talipedans, aut cum Oberto Gifanio, quem consuluisse non erit tibi iniucundum, malis dicere ratione subiectæ rei Poëtam fecisse vacillantem versum. Certè alibi quoque idem Lucretius corripit, vt ex Indice Lambiniano disces. Accedit etymon à vaco. Quidni ergo legendum moneam?

Túmque vacillans is primùm consurgit & omnes.

VARVS vir, & fluuius Galliæ Narbonensis, *vari* cruribus obtortis seu bacula furcillata & informia Varrone interprete, *varices* venæ intumescentes, *varico* vnde præuaricor & diuaricor, *varicus* passu ampliore incedens, &c. primam producunt. Vnum ex deriuatis *varicosus* eamdem corripit in Satyris Persij ac Iuuenalis, nisi quis fortè contendat legendum *vatricosus*, i. crura habens vitiosa, quâ voce vsus dicitur Lucilius, teste Nonio Marcello. Secundam Fortunatus in

præuaricor corripuit, sed classicus non est, nec prudenter eum Smetius idoneis auctoribus absque præuiâ censurâ immiscuit. *Vascones* crementum corripere, præter Iuuenalem, S. Paulinum, Mantuanum, alióſque, docet Auienus, cùm Iberiam dictam asserit ab illo flumine:

Quod inquietos Vascones prælabitur.

Vaticanus Iuuenali, Martiali, aliísque frequentiùs tres priores producit. Horatius solam secundam corripuit, Petrarcha etiam primam, quam solam Stephonius in suâ Flauiâ breuiauit, vterque absque vllo veterum exemplo, immo contra etymon à vagitu vel Vatibus. Vide Aulum Gellium libro 16. cap. 17. Noctium Atticarum. *Vehemens* trisyllabum est vulgò, at si Poëtas consulas antiquiores, sæpiusculè spondeum efficit, ac vix dialysim vllo in versu reperias. Lucilium quippe Lucretiúmque duas priores syllabas in vnam contrahentes imitati sunt Catullus epigr. 47. Cicero in Arato, Horatius, alij. *Veles*, miles expeditus ac leuioris armaturæ, vnde *velitatio*, leuis exercitatio, aut veræ pugnæ simulatio, primam producit, ideóque à *velocitate* dictus potiùs, quàm à *volando*. Num verò *velox* à volando, disceptent alij. *Velitras* vrbem Volscorum penultimam habere longam docet, *Veliternus* apud Silium lib. 13. *Venusinus* Horatio, qui indidem ortus, Satyrâ 1. libri 2. & Ode 28. libri primi, Iuuenali satyrâ primâ, & aliis duas priores corripit. *Venusina* quædam mulier, solam primam apud eumdem Iuuenalem Satyrâ sextâ. *Veretrum* in In-

dicibus Catholicis monui penultimam corripere, vt quidem plures doctioréſque cenſent, nam quemadmodum à fulgeo fulgitum *fulgetrum*, ita à vereor veritum *veretrum*, licèt ab illius ſupini modulo deſciſcant *verecundia*, *verecundor*, & ſimilia, quæ ſecundam producunt.

VESVVIVS mons notiſſimus, vt nomina, ita quantitatem mutat: Virgilius I. Georgicon:

Talem diues arat Capua & vicina Veſeuo.

Veſuuius dicitur Statio, Silio, Valerio, aliis, quibus conſultò abſtineo: vt obiter corrigam verſum Martialis epigrammate 41. libri 4. vbi vulgò *Veſuuius* excuditur primâ & ſecundâ productis:

Hic eſt pampineis viridis modò Veſuius vmbris.

Emendationem noſtram probat adiectiuus *Veſuuinus*, cuius priores breuiantur. Statius:

Non adeò Veſuuinus apex & flammea diri.

Vnde pro *Veſeuainga* apud Silium, legendum docui *Veſuuina*. At *Veſi*, hoc eſt Veſogothi, de quibus conſule notas R. P. Iacobi Sirmondi ad Sidonium v. 399. carminis 7. primam protrahunt. Idem Sidonius v. 476. carminis quinti:

Bellonotus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites.

Vettonia in quodam carmine Dactylico Prudentij ſecundam habet breuem, quàm bene docet Silius libro 3. & Græci Geographi, apud quos οὐέττωνες populi, & regio οὐεττωνία.

VIETVS, Terentio, Prudentio non ſemel, Lucretio libro 3. verſu 386. aliiſque penultimâ productâ, non ſecus ac *vietor*. Vide Indicem Gifanij, & diſce non fuiſſe breuiatam ab Horatio

ratio epodon 12. Sed in eo versu agnoscendam esse synizesim, & nimis præcisè Aluarem, aliósque Prosodiographos scripsisse variam esse ancipitémque nominis illius penultimam. Eadem synizesis necessaria est dimetiendo versui eiusdem Horatij 2. Serm. Sat. 7. in voce *Vindemiator*, quæ secundam omnium consensu producit: vt, *vindemia*, *vindemitor*, *vindemialis*, &c. Quàm emendandi rationem in Thesauro L. L. postmòdum reperi. Auctor Dirarum secundam in *viticula* producit, quam Tertullianus corripuit, vt alij in *viticola*, *vitigenus*, *viticomus*, &c.

XXXV. DISSERTATIO.

Xenia, Xenophon, Xylobalsamum, Zabulon, Zabulus, Zamolxis, Zacynthus, Zelea, Zoroastres.

XENIA primâ breui; neque arguo producentes, cùm Græcis sint in vsu ξείνιος, ξεινοσύνη, &c. Atque inde quoque *Euxinus Pontus*, qui priùs *Axenus*. Nec omittendum illud ex libro 5. Anthologiæ:

Ξεινοφόων δ' ἤγαγε φιγαλίδος ἀπὸ Ἀθήνης.

Andromachus penultimam *xylobalsami* & *opobalsami* necessitate metricâ produxit, quod non monuit, qui citauit, Smetius.

ZABVLON vnus è duodecim Iacobi filiis, primâ ancipiti secundam producere debet, saltem in soluta oratione. Eam corripuit Iuuencus,

quem nonnulli ſequuntur exteri homines. Græcè tamen Ζαβρυλών. At Ζάβολος, *Zabulus* ſiue *Zabolus*, quam vocem inter Latinos Patres frequentarunt SS. Cyprianus, Hilarius, Paulinus, alij, vt pluribus docebit te præ cæteris noſter Heribertus Roſuueidus in Notis ad opera S. Paulini, penultimam corripit: Æolicum quippe eſt pro διάβολος, vt *Zeta* pro diæta, licèt alij ἀπὸ τοῦ ζῆν ἢ ζεῖν, & fortè *Tzacones*, de quibus paulò antè pro diacones, &c. An verò primam tum quoque corripiat, fateor nullum me hactenus authenticum legiſſe exemplum? Certùm quidem mihi particulam ζα, quæ in compoſitione intendit augétque ſignificationem, corripi ſemper, vt in ζάθεος, ζάκοτος, &c. At de Æolicâ non conſtat, niſi ad craſim confugias, aut idonei tibi videantur Eccleſiaſtici ſcriptores atque hymnographi, qui Proſodiam labantem fulciant. In Throchaïco S. Michaëlis hymno producitur, & apud S. Paulinum:

Quibus peremptis interibit Zabolus.

Zamolxis Getarum Deus ſeu Legiſlator, primam & crementum corripere ſolet. Ζάλμοξιν per metatheſim vocat S. Nazianzenus carmine 61. *Zacynthus* inſula Ionio in magno primam corripit in Odyſſeâ, Æneide, alibi ſemper. Vnus Theocritus videtur produxiſſe. Quid ſi legas?

Αἰγιαλοί τε Κρότωνα, καλὰ πόλις, ἅ τε Ζάκυνθος.

Zelea vrbs, penultimam producit, ex quâ iota expunxit apud Stephanum Poſidippus. *Zizanium* SS. Gregorio Nazianzeno & Proſpero rectè ſecundam breuiat, quam minùs appoſitè

longarunt Prudentius & Fortunatus. Idem Prudentius, Mantuanus, & quidam alij in deriuatis à *Zoroastres* vsi sunt synizesi, ni mauelis ex ignoratione literarum Græcarum erraſſe, Græcè ſiquidem ζωροάστρης. Hæc verò Analecta vix per octiduum à nobis ex amplioribus Elenchi Latino-Græci ſpatiis in anguſtos libelli huiuſce limites contracta, fidem, opinor, facient æquis rerum æſtimatoribus, quanto ſtudio atque accuratione Proſodicas iſtas minutias olim fuimus proſequuti.

Μὴ φοβέου πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν.
Οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν ΚΡΙΣΙΝ, οὔτε δικαίαν,
Οὔτε καλήν. Ὀλίγοις δ' ἂν παρ' ἀνδράσι τοῦτο κεν εὕροις.

Cleanthes Stoïcus apud Clementem Alexandrinum Stromateo 5.

DISSERTATIO XXXVI.

De Nominibus Latino-Græcis in EVS adiectiuis & ſubſtantiuis.

CVM Nominum Latino-Græcorum in EVS non perinde omnibus manifeſta ſit quantitas, noſque priuatâ Obſeruatione recondita quædam, nec adeò protrita animaduerterimus, operæ pretium viſum eſt ea in peculiarem Diatribam includere, vt quàm enucleatè minutias eiuſmodi extricare collibitum fuerit, omnibus pateat.

Quia verò bifariam diuiſa ſunt eiuſcemodi nomina in EVS deſinentia, in *adiectiua* ſcilicet ac *ſubſtantiua*; de his priùs quàm de aliis inſti-

tuta dissertatio procedet.

Primò ergo. Nomina Substantiua in EVS, *quæ à Tertiâ Contractorum apud Græcos declinatione descendunt, quæque maximam partem propria sunt hominum*, cùm pronuntiantur, vt vulgò fit, dissolutâ duas in vocales diphthongo Græcâ, penultimam semper corripiunt, sic *Achilleus, Agileus, Phalereus, Apsirteus* tetrasyllaba, sic *Nereus, Orpheus, Proteus, Tereus*, trisyllaba passim efferuntur penultimâ breui.

Quod de Genitiuo, Datiuo, & Accusatiuo communibus similiter dicendum *Orphei* seu *Orpheos*, *Orpheo*, *Orpheum*, vel *Orphea*. At Vocatiuus *Orpheu* diphthongum videtur in ipsâ etiam prolatione, saltem apud nostrates Gallos, seruare.

Secundò. Eorum verò Nominum dum numeris illigantur in carmine, Nominatiuus ferè semper diphthongi naturam seruat, adeò vt quidam, nec indocti illi quidem, aut minorum gentium Grammatici, vniuersim edixerint non posse duas in vocales syllabasque distrahi.

Victor & inuisæ Perseus cum falce Medusæ: Manilius.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus. Virgilius.

Hæc Proteus, & se iactu dedit æquor in altum: Idem. In his enim sexcentísque aliis vltimam occupat diphthongus, adeò vt de eâ re nullum sit dubium apud eruditos.

Tertiò. Ostendendum modò pluribus grauiter lapsos, qui dixerunt, illicitum esse finalem illam diphthongum soluere: nam licèt apud Græcos

tam arcto inter se colligentur nodo duæ illæ vocales, vt diuisionem non recipiant; Latini tamen Poëtæ haud ita religiosi hâc in parte fuerunt, vt ex *Virgilio*, *Ausonio*, *Phædro* discimus. Virgilius ergo, seu quis alius auctor Poëmatij de Culice sic canit.

Naiadum cœtu, tantum non Orpheus Hebrum: versu 116.

Pœnaque respectus & nunc manet Orpheus in te: versu 268.

Tyndareus pater his & Iuppiter; hic putat, hic scit. Ita Ausonius Epigrammate 55. sicque, vt vides, Τυνδάρεος & Τυνδαρεὺς vtrumque fuisse in vsu, comprobari potest. Verùm hoc validiùs sanè confirmatur versu Iambico Phædri, qui nullam calumniam, aut benignam interpretationem admittit: est autem eiusmodi.

Demetrius qui dictus est Phalereus,
Athenas occupauit imperio improbo:

Initio lib. 6. Tu si quid simile inter legendum in classicis Vatibus repereris, non negligenter annotare debebis, vt eorum os possis obstruere, qui illud illicitum putant, & antiquiorum; nam recentiores multos hîc appellare possem, exemplis destitutum. Aliàs fortè dabimus plura. Interim moneo tirones, vt illam, si fieri commodè poterit, diæresim vitent.

Quartò. Quod ad Genitiuum spectat, potest is vel more Græco vsurpari *Orpheos* penultimâ & vltimâ breuiatis, vel Latino vsu *Orphei*, duabus tantùm syllabis, vel, si Iubeat, tribus penultimâ breui.

Tereos, aut cœnam crude Thyesta tuam:
Martialis.
Aut vt mutatos Terei narrauerit artus:
Virgilius.
Stellis honorem tectáque Penthei:
Alcaïcus Horatij.

Quintò. Datiuus similiter potest esse veldissyllabus, vel trisyllabus, quod etiam de Auferendi casu dictum velim.

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ:
Propertius.
Quid pater Ismario, quid mater contulit Orpheo:
Ouidius.
Quid si Threïcio blandius Orpheo:
Alcaïcus Horatij.

Quod verò pauci sciunt, Datiuum terminatione merè Græcâ, eâque Contractorum propriâ reperies apud Virgilium Eclogæ quartæ versu 55.

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adsit,
Orpheï Calliopea, Lino formosus Apollo.

Neque enim *Orphei* est Genitiui casus, vt temerè quidam sibi persuadent, sed Datiui, vt ex ipso orationis contextu obseruauerunt docti Maronis interpretes.

Sextò. Accusandi casus, vel Latinus est *Orpheum* duabus pluribúsue syllabis, vel, quod sæpius vsu venit, Græcorum more exit in *ea* diuisas plerumque syllabas, quamquam & Virgilius ipse duas illas in vnam compegerit aliquando.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Horatius.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem:
Propertius.

Nec tantùm Rhodope miratur, & Ismarus Orphea,
Namque canebat vti: Eclogâ sextâ, versu 30. Ne verò putes concursu vocalium vltimam absorberi. Idem Virgilius scripsit:

Cœúmque, Iapetúmque creat, seuúmque Typhoëa,
Et Coniuratos: lib. 1. Georgicon. Est tamen hic subterfugio locus, vnde potentiùs sanè refellas eos, qui *Typhœa* scribunt illum accusandi casum, cùm Græcè scribatur Τυφωέα Τυφωέα, nec omega consortium sequentis eiusmodi vocalis admittat.

Septimò, Occurrit quoque, sed rariùs, Accusatiuus Græcus, quasi à nominibus Tertiæ Simplicium; sic apud Ouidium, nam hoc vnum modò exemplum suppetit:

Diripiantque tuos insanis vnguibus artus,
Strymoniæ matres Orpheon esse ratæ.

In Ibin versu 600. hic enim casus ab Ὀρφεος tertiæ declinationis deflexus est, vt scorpion à σκόρπιος, & Tyron à Τύρος, &c.

Octauò. Ausonius Epigrammate 83. penultimam Accusatiui *Capanea* produxit, & alibi penultimam Genitiui *Peleos*, quod sanè non ausim ego imitari, quantumuis nescius non sim in tetrasyllabis, vt *Idomeneus & Ilioneus*, similibúsque, casus Ionicos receptos quandoque fuisse in

carmine Latino, Ἰδομενῆα, Ἰλιονῆα, &c.

Idomenea ducem, desertáque littora Cretæ:
3. Æneidos.

Ilionea petit dextrâ, lænaque Serestum:
libro 1. eiusdem diuini operis. Quod verò Hyperaspistes Baptistæ Mantuani accusatiui τοῦ Πενθέως penultimam existimauit à Papinio fuisse productam, peccauit insigniter: est enim adiectiuum dictionis *genus*, vt docent vel ipsimet versus:

Pentheúmque trahens nondum te Phædimus, æquo Bacche genus. Alij hanc in rem Iuuenalem producunt in medium haud feliciore successu: neque enim de patre Thesei, sed de mari sermo.

Perque tuum pater Ægei Neptune tridentem.

Nonò. Vocatiuum semper obtinet diphthongus tam apud Græcos quàm Latinos, rémque gratissimam fecerit, qui dissolutam ab idoneo Poëtâ probauerit.

Scis Proteu, scis ipse, neque est te fallere cuiquam. 4. Georg.

Illa quis, & me, inquit, miseram & te perdidit Orpheu.

Ibidem. Quare mirum in Flauiâ Stephonij *Tyanee* pro *Tyaneu* penultimâque breui, in gentili illo nomine vsurpatum, nam quod ad secundam pertinet, iam alio in loco dictum est.

Decimò. Ad eamdem quoque Declinationem Tertiæ Contractorum pertinent quædam tum Appellatiua, vt *Gnapheus*, id est *fullo*, infandi illius hæresiarchæ Petri cognomen, quod *Gnapheus* insulsissimè nonnulli scribunt; pronuntiantque: *zographeus*, id est *pictor*, vt quidam loqui

non

non verentur, *Basileus*, id est, Rex aut Imperator, de quâ voce Annales Baroniani, aliíque, vbi de simili titulo ac nomine Imperatoribus Latinis à Græcis denegato, & fortè etiam *Peiraeus* portus, nisi ad sequentia potiùs accedere videretur. Tum etiam ea, quæ Grammatici appellant Gentilia; vt *Aphrodisieus* Ἀφροδισιεὺς, *Halicarnasseus* Ἁλικαρνασσεὺς, *Apsyrteus*, *Paanieus*, *Phalereus*, *Sinopeus*, *Tyaneus* τυανεὺς, similiáque quamplurima, quæ apud Latinos vulgò terminationem in *ensis* accipiunt: de quibus dicendum mihi quod sentio.

Vndecimò. Gentilia Nomina, quæ à tertiâ declinatione Græcorum manant, tutiùs longè proferuntur penultimâ breui, dissolutâ scilicet duas in vocales Græcâ diphthongo. *Cur enim amabo discrimen inter Appellatiua & Propria, Substantiua & quasi Adiectiua statuitur à Latinis, vbi nullum Graci agnoscunt?* Ridiculus porrò fuerit, si quis Orphéus, Neréus, Protéus penultimâ longâ pronuntiarit. Ergo & qui Aphrodiséus, Halicranasséus, Tyanéus, &c. *si tamen Gracè tantùm hanc vnam terminationem habeant.* Quod propterea additum volui, vt omnes intelligant eiuscemodi Gentilia apud Græcos duplicem interdum terminationem sortiri, in εὺς & in αῖος, quod sedula Stephani Byzantini, aliorúmque lectio docere te poterit. *Ea ego tantùm deprehendi* Ἀλυβεὺς & Ἀλυβαῖος, Ἀλυζεὺς & Ἀλυζαῖος, Ἀνανεὺς & Ἀναναῖος, Ἀντιοχεὺς & Ἀντιοχαῖος, *& fortè alia sed perpauca, qua à fœmininis Secunda deducta sunt.* Quare vbi constiterit de terminatione in αῖος, tunc haud gra-

uatè concesserim penultimam indifferentem pronuntiari posse, sin secus, semper corripiendam esse, maximè in istis *Halicarnasseus, Tyaneus*, &c.

Duodecimò. Tandem, quod ad Possessiua, vt vocant, orta ab eiusmodi Propriis Nominibus Tertiæ Contractorum attinet, hæc pauca habe. *Primò* illa desinere communiter in εῖος, vt Πενθεῖος, Νηρεῖος, Ὀρφεῖος: *Penthéus, Neréus, Orphéus*: penultimâ productâ.

Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro: Martialis.

I, precor, Atrei, si quid tibi sanguinis vmquam: Statius.

Secundò terminationem istam εῖος Poëticè conuerti in ηΐος: vt Πενθηΐος, Νηρηΐος, &c. quæ Latini quoque sæpissimè sunt imitati, *Nereïus, Pentheïus*, &c.

Hic tecum Trœzena colam Pittheïa regna: Ouidius.

Illo dulce melos Nereïus extudit Heros: Lucretius. Atque hoc Græci in aliis quoquè Adiectiuis & Substantiuis, eorúmque imitatione Latini frequentarunt vt in *Phœbeïus, Rhodopeïus, elegeïa, Cythereïa*, &c. vt docuimus alio in loco. *Tertiò* ex iis Adiectiuis ac Substantiuis in εῖος & εία & Latinè *êus, & êa*, subiectiuam vocalem fuisse de industriâ detractam, vt corriperetur penultima: sic enim *Typhoëus, Cyclopeus, Dædaleus, Æsopeus, Epicureus, Pelopeus*, similiáque adiectiua: sic *platea, chorea, conopeum*, &c. quæ penultimam producere deberent, eâdem breui nonnumquam leguntur.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes:
Ouidius.

Nate Patris summi, qui tela Typhoëa temnis:
Virgilius.

Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa:
Idem ibidem.

Non ea Tydides, non audet Oilëus Aiax:
Ouidius.

Dædaleum lino quum duce rexit iter:
Propertius. Plura quoque occurrent Poëtarum viridaria diligenter rimanti, quæ nos sparsim Thesauro nostro Prosodico seu Elencho Latino-Græco integro inserueramus. Verùm is incuriâ Typothetarum maximam partem periit. *Quartò*, neque hoc abs re fuerit obseruasse me Adiectiua deriuata à fœmininis secundæ desinere in αῖος, vt *Ascræus*, *Corcyræus*, &c. ergo & *Cyrnæus*, *Europæus*, *Pagasæus*, *Tymbræus*, aliáque innumera. Orta verò à cæteris, maximè tertiæ Simplicium aut Contractorum, in εῖος, vt *Epicureus*, *Achilleus*, *Prometheus*, *Anchiseus*, *Palamedeus*, *Phryxeus*, & alia quamplurima, quæ liberali manu poteram Lectoribus offerre, *nisi iam sat prata bibissent.*

Aliàs quoque ex longiori hac Dissertatione memini me nonnulla breuiter excerpsisse, quæ ad emendatam pronuntiationem spectabant, nec ab aliis scriptoribus fuerant explicata.

I. Nomina in EVS, quæ à tertiâ Contractorum apud Græcos declinatione descendunt, quæque maximam partem propria sunt hominum, cùm pronuntiantur, vt vulgò fit, dissolutâ duas in vo-

cales dipthongo Græcâ, penultimam ſemper corripiunt, ſic *Achilleus* martyr, *Agileus*, *Apſyrteus*, *Phalereus*, *Salmoneus*, tetraſyllaba, ſic *Nereus*, *Atreus*, *Orpheus*, *Proteus*, *Tereus*, triſyllaba paſſim efferuntur penultimâ breui. Quod de Genitiuo, Datiuo, Ablatiuo & Accuſatiuo communibus ſimiliter dicendum, *Protei* vel *Proteos*, Proteo, *Proteum* vel *Protea*. At Vocatiuus *Proteu* diphthongum videtur in ipsâ etiam prolatione ſaltem apud Gallos ſeruare. (*Quid fiat in carmine, videſis in ſuperiore Diatribâ.*) Quare in ſolutâ oratione dicendum cenſeo *Idomenea*, Ilionea penultimâ breui, licèt Poëtæ produxerint, Ionas ſequuti.

II. Appellatiua nomina vt *Gnapheus*, id eſt fullo, *Zographeus*, id eſt pictor, *Baſileus*, id eſt Rex, Imperator, *Peiraeus* portus, *Aphrodiſeus*, *Apſyrteus*, *Halicarnaſſeus*, *Cheroneus*, *Paanieus*, *Phalereus*, *Sinopeus*, *Tyaneus*, aliaque ſimilia, quæ Gentilia dici ſolent, tutiùs longè proferuntur penultimâ breui, diſſolutâ ſcilicet duas in vocales Græcâ diphthongo. *Cur enim amabo inter appellatiua & propria, ſubſtantiua & quaſi adiectiua ſtatuitur à Latinis diſcrimen, vbi nullum Graci agnoſcunt? Ridiculus porrò fuerit, ſi quis* Orphéus, Neréus, Protéus *penultimâ longâ pronuntiarit: ergo & qui* Aphrodiſéus, Halicarnaſſéus, Tyanéus *& ſimilia, ſi tamen hanc tantùm terminationem habeant apud Gracos.* Quod propterea additum volui, vt omnes intelligant eiuſmodi Gentiliâ duplicem interdum Græcè terminationem ſortiri, putà in εὺς & αῖος,

Ea ego tantùm deprehendi Αλυβὰς & Αλυβαῖος, Αλυζὰς & Αλυζαῖος, Ανανὰς & Ανανα̃ιος, Αιποχεὺς & Αιποχαῖος, & ſi quæ alia pauca, quæ à fœmininis ſecundæ deducta ſunt. *Quare vbi conſtiterit de terminatione Græca in αῖος, tunc haud grauatè concesſerim penultimam vt indifferentem pronuntiari poſſe, ſin ſecus, ſemper corripiendam maximè in* Halicarnaſſeus, Tyaneus, *ac ſimilibus.*:

III. Quod ad adiectiua in *Eus* ab iis deducta attinet, cùm Græcè per diphthongum ει ſcribantur, ea certum eſt penultimam producere, licèt à Poëtis nonnumquam detracta fuerit altera dipthongi vocalis, vt in *Typhoëus*, vel ἕιος diſſolutum fuerit Ionum more in ήϊος, vt *Nereïus*, *Pentheïus*, &c. Quamobrem me auctore Orphéum theatrum, Typhoéa tela, Salmonéum tonitru, Neréos ſeu Nerínos greges, Atréum ſanguinem, ſimiliáque adiectiua (*vt de chorea*, *Conopeo*, *Cyclopeus*, *rhomphæa*, *Epicureus alibi diximus*) penultímâ productâ ſemper pronuntiabis, reliqua Poëtis permittes.

XXXVII. DISSERTATIO.

De Nominibus Latino-Græcis in IA *deſinentibus.*

NOmina Latino-Græca in IA, *quæ apud Græcos ſecundæ ſunt declinationis, & ſcribuntur per* ει, *adeóque penultimâ productâ à Latinis pronuntiari debent, peculiarem curam ac diligentiam à*

nobis exigunt, cùm doctos etiam viros nonnumquam ancipites suspensósque detineant. Ea igitur ad tria capita reuocari posse arbitror.

Primò enim scribuntur per ει Græcè, & Latinè penultimâ productâ legi debent, quæ formantur à verbis in εύω, vel, vt mihi modò magis arridet, à quibus formantur verba ipsa in εύω. Ea sunt apud Latinos vsitata: cætera enim quid commemorem? *Angaria* ab ἀγγαρεύω, *dynastia*, *dulia cum suis*, *latria cum suis*, *litania*, *magia*, *mantia cum suis*, *mœchia*, *pædia cum suis*, *politia*, *prophetia*, *satrapia*, &c.

Secundò, quæ ab adiectiuis primæ, contractorum descendunt: vt *antipathia*, *apathia*, *energia*, *endelechia*, *epükia*, *epiphania*, *peripetia*, *peripheria*, *sympathia*, *hamartigenia*, &c.

Idolomania scribitur sæpius per iota tantùm cum similibus, quæ à substantiuo μανία potiùs deriuari videntur, quàm ab adiectiuis in ης. Scio tamen nonnulla ab his adiectiuis primæ contractorum deducta scribi per iota, sed ea non memini à Latinis vsurpata, nisi fortè *Acedia*.


Tertiò vrbium nomina, quæ à nominibus propriis virorum siue mulierum deducta sunt: vt *Alexandria*, *Antiochia*, *Attalia*, *Agrippia*, *Laodicia*, *Nicomedia*, *Philadelphia*, *Samaria*, *Seleucia*, &c.

Quædam etiam scribuntur per e longum, vt *Alexandrea* apud Horatium, *Apamea*, *Cæsarea*, *Heraclea*, *Maronea*, &c. *Nicæa* & *Arimathæa* scribuntur per primam diphthongum, nec à nominibus propriis deriuantur. De *Lysimachia*, &

Mopsuestia fusè diximus in Elenchi Analectis.

Reliqua ferè nomina Latino-Græca in IA, non tantùm Regionum & Prouinciarum propria, quod vulgò norunt plerique omnes, sed etiam vrbium, propria, & maximè appellatiua à substantiuis vel adiectiuis deriuata penultimam corripiunt, scribuntúrque per iota dumtaxat, vt *agonia*, *aporia*, *astrologia*, *blasphemia*, *cassia*, *dysenteria*, *ecclesia*, *ephebia*, *eucharistia*, *genealogia*, *homilia*, *hydria*, *historia*, *mania*, *melodia*, *monarchia*, *moria*, *philologia*, *phantasia*, *poëtria*, *polygamia*, *sophia*, *sycophantia*, *scoria*, *symphonia*, *tragœdia*, *zelotypia*, &c. *Ambracia*, *Apollonia*, *Eretria*, multæque similes vrbes, de quibus hoc obiter dixerim. Plurimas vrbes à nominibus propriis Nominum Quintæ apud Græcos, seu imparisyllabicæ declinationis, penultimam corripere, vt *Cydonia* à Cydone, *Teuthrania* à Teuthrane, *Atracia* ab Atrace, *Ambracia* ab Ambrace, *Apollonia* vel ab Apolline vel ab Apollonio, *Arsacia* ab Arsace, *Niconia*, à Nicone, *&c.* Quòd si fortè plures apud Stephanum aliósque occurrant etiam à nomibnibus quatuor priorum Declinationum, cæteris suiunget diligens Lector.

Si qua verò præterea in peruolutandis Latinorum scriptis occurrant tibi nomina in IA, *quæ penultimam producant, nec ad vnum è tribus capitibus suprà commemoratis reuocari possint, ea huicce diatribæ appendicis vice addita ad proprios vsus reseruabis.*



XXXVIII. DISSERTATIO.

De crementis nominum Latino-Græcorum in ON *desinentium.*

CONQVERVNTVR *vulgò docti indoctíque crementa nominum Latino-Græcorum in* ON, *obscura admodum incertáque existere: nec iniuriâ sanè, cùm nullæ hactenus à Grammaticis, quod legerim audierimve, traditæ sint præceptiones, quibus breues à longis discerni, ac tutò inter pronuntiandum efferri possint. Huic ego malo rogatus iamdudum a multis aliquatenus mederi aggredior, tum allatis in medium certis quibusdam regulis, quas priuata obseruatio, & nonnulla in hisce minutiis pertractandis industria pepererunt, tum continuato iuxta ordinem Alphabeticum indice pernecessario, ad quem in dubiis omnes velut ad sacram anchoram confugere possint.*

Prima Regula maximè scitu necessaria.

Longè plura sunt nomina Latino-Græca in ON, *quæ crementum producunt*, quàm ea, *quæ corripiunt*. Vnde iis cognitis, quæ *per omicron* in obliquis scribuntur, de aliis statuere facillimum erit.

Secunda Regula.

Nomina in *άων*, crementum corripiunt, vt *Machaon*, &c. Exceptis *Gabaon*, *Phaon*, *Pharao*.

Tertia

Tertia Regula.

Nomina in ίων, quæ penultimam nominatiui producunt, crementum corripiunt: vt *Amphion*, &c. de quibus in ſequenti Indice. Nam nomina in ίων, maximè polyſyllaba, quæ penultimam nominatiui corripiunt, crementum producere ſolent: vt *Anthemion*, *Deucalion*, *Hephæſtion*, *Pygmalion*, &c. Plura de his leges Parte quartâ noſtræ Proſodiæ Græcæ, in Tertiâ Deriuatorum ac Verbalium Claſſe.

Quarta Regula.

Crementum producunt nomina Menſium Atticorum, quæ omnia nominatiui vltimam acuunt, & penultimam obliquorum circumflectunt, vt *Hecatombaeon*, *Poſideon*, *Thargelion*, &c.

Quinta Regula.

Producunt quoque crementum nomina, quæ vrbem ſeu quemcumque locum à copiâ herbarum, arborum, fructuum, auium, aut animalium dictum ſignificant, quæque vltimam nominatiui acuunt apud Græcos: vt *Daphnon* à lauris, *Marathon* à marathro ſeu fœniculo, *Platanon* à platanis, *Sicyon* à cucumeribus, *periſtereon* à columbis, &c.

Sexta Regula.

Punica omnia nomina, & pleraque fermè omnia ſeu barbara ſint, ſeu Latinam ſapiant originem, quantitatem Latinorum in crementis imi-

tantur: vt patet in iſtis, *Ambrones*, *Apones*, *Caucones*, *Giſco*, *Hanno*, *Mago*, *Heſtiones*, *Narbo*, *Tellenon*, *Vadmon*, *Veſtones*, *Veſontio*, &c.

Septima Regula.

Quæ à κρέων, λέων, & μέδων componuntur, crementum quidem producunt, ſed ſolâ poſitione duntaxat: At quæ vltimam nominatiui circumflectunt, vt *Charephon*, *Xenophon* & ſimilia, illud poſitione ſimul & naturâ extendunt.

Octaua Regula.

Compoſita à nominibus φρὴν *mens*, χθὼν *terra*, ἄκμων *incus*, δαίμων *genius*, γείτων *vicinus*, γνώμων *index ſeu cognitor*, crementa corripiunt. Exempla leges plurima in ſequenti indice, quem vltimâ hâc editione non pœnitendâ acceſſione locupletatum repræſentamus.

Nomina in ON, quæ crementum corripiunt, quanta fieri potuit diligentia ac ſtudio conquiſita.

Propria ſunt Hominum, aut Gentilia, quibus ſua hîc non adhæret adſcripta ſignificatio.

A

ACMON, *à quo Acmonia vrbs*, aëdon *ſeu luſcinia auis*, Æmon, Æſon, Agamemnon, Agathodæmon, Agmon, Alazones, Alciphron, Alc-

maon, Alcyones *seu potius Halcyones aues*, Alemon, Alyacmon, *vel vt alij scribunt Halyacmon fluuius*, Amazones *sat notæ viragines*, Aminon, *seu potiùs Epaminon*, Amnemones, Amphictiones, Amphion, Amithaon, *vel vt alij*, Amythaon, Amymones, Andremon, Anthedon *vrbs*, Antichthones, Aon *vnde* Aones, Apidones, Apisaon, Aragones, *quemamodum multi pronuntiant*, Architecton, *id est, artifex*, Aretaon, Arion, Ariphron, Aristogiton, Artaon, Artemon, *id est quoddam nauis velum*, (*nam cùm viram quemdam Clazomenium, & hæreticum, cuius post Eusebium meminit Baronius, significat, crementum producit*) Arrachion, Aspidogorgon apud Epiph. hær. 30. Aspledon *vrbs*, Auson, *vnde* Ausones & Ausonij, Autochthones, *id est indigenæ*, Axion: quibus iunges Antichthonas, *id est Antipodas*, & Amnemonas *magistratus quosdam apud Gnidios*.

Cæterùm nota hîc sedulò *Actæon*, *Ægeon*, *Alcmæon*, *&* *Almon* longè rectiùs saltem inter pronuntiandum penultimam obliquorum protrahere, licèt eam nonnulli Poëtæ corripuerint.

B

Bæon *piscis quidam, vt volunt*, Bagadaones, Bistones, Britones, *licèt longum etiam reperiatur apud idoneos auctores*, Butones, Bylliones.

C

Caledones, cacodæmon, canon, *id est regula, norma*, Carchedon *nomen proprium Carthaginis, eiúsque conditoris, ex Philisto*, Carianthedon *vrbs postea ab Herode Agrippia dicta, vt refert Chronicon Alexandrinum*, Caryones, Castamon, *domus*

Comnenorum, de qua Cedrenus, Cataones, Cebrion, *vel vt alij* Cebriones, Cercyon, Chabiones, Chæremon, Chalcedon, *vel vt alij rectiùs fortè scribunt* Calchedon, Chanon *vrbs*, Chaon *vnde* Chaones, Chauones, Chelidon, *id est hirundo*, Chion *nympha, vnde fortè* Chione, Chremedon, Chremetaon *seu sine afflatu* Cremetaon, Cicones.

D

Dæmon *cum compositis* Agathodæmon, Cacodæmon & Eudæmon, Damasiton, *vel* Damasichthon, Daones, Didymaon, Diogiton, Dolicaon, Dolion, *vnde fortè* Doliones: quibus Diacones id est Diaconi vulgò iunguntur, licèt alij repugnent.

E

Echemon, Echephron, Echion, *seu socius Cadmi, seu Medicus*, Eion *vrbs Thraciæ & appellatiuum, id est littus*, Elmeones, Epaminon, Epistemon, Erisichthon, Erichthon, Ermion, Erysichthon, Essedones, Ethion, Etymon, Euæmon, Eudæmon, Euctemon, Euphron, Euthyphron.

Nota *Edones* meliùs produci.

F

Fragmon *seu potiùs* Phragmon, de quo infrà suo ordine.

G

Geryòn *vel* Geryones *seu* Geryoneus, gnomon, *id est index, cognitor, & quoddam fabrile instrumentum, cum suis* physognomon, &c. quibus adde Gutones Germaniæ populos apud Strabonem, & Gorgones, quæ nescio quo fato antehac fuerant prætermissæ.

H

Halcyon *auis*, Haliacmon *fluuius*, halipneumon *piscis quidam*, Hæmon, Hamopaon, Hegemon, Helicaon, Hermiones, Herpedon, Hicetaon, Hieromnemones, qui ex vnaquâque ciuitate ad Amphictyonicum Concilium mittebantur ex Harpocratione, Hiperaon, seu Hyperaon, Hipetion, *quibus iunge precor* Hurones *auctore R. P. Millieo, qui lib. 21. Moysis Viatoris sic canit:*
Vt Canadæ gentes, aut Hurones, aut Hiroquæi.

I

Iaon *fluuius*, Iaones *populi* (non verò contractum Iones) Iapetion *pro Iapetus, vnde Iapetionides*, Iappones *Orientis populi*, vt quidem docti penè omnes hoc tempore pronuntiant, Iason *tùm in prophanis, tum in sacris historiis, licèt* in LXX. siue Regiis, siue Sixtianis *minimùm decies in vtroque Machabæorum libro crementum exeat in omega*, ichneumon *Crocodili hostis*, icon *id est imago*, Icetaon, Idmon, Inaon, Ischæmon Plinio, Issedones, Ixion *vir sat notus*, nam ixion Deuteronomij 14. huc non pertinet.

L

Lacedæmon *vrbs*, Læsion *vrbs*, Læstrygones, Lagon *sed non Ladon*, Lampedon *mulier*, Leophron, Lethedon *fons*, Lingones, Lusones, Lycaon, Lycaones, Lycophron.

M

Macedones, Machaon, Mæon *vnde* Mæones, Malthaon, Manæthon, *saltem apud quosdam, licèt fortè meliùs producatur à μανθῶν*, Mardones, Masigiton, Matthion, Melanchthon, melones &

melopepones *fructus æstiui*, (non autem Melo; *id est Nilus* apud Ausonium, & Melon *Hercules)* Memnon *vnde* Memnones, Menephron, Methion, Mimallones *Bacchæ*, Mnemon, *id est memor cognomen Artaxerxi datum*, Molion, Musimon, & quibusdam Musmon, Mygdones, Myndones, Myones, Myrmidones.

Nota *Marcion* longè meliùs crementum producere.

N

Neophron, Noëmon, Nomion, Nomocanon *Photij aliorúmque.*

O

Odones, Oedipodion *pro Oedipus, vnde Oedipodionides*, ololygones, *ranæ quædam apud Plinium*, Olooſſon *vrbs*, Ophion.

Nota *Orion* meliùs ſaltem inter pronuntiandum produci.

P

Pænon, Pæon *ille à quo dicti ſunt* Pæones *populi* & Pæonia *regio*, Palæmon, Pammon *Iliados* 14. verſu 250. Pandion, Panepiſtemon *omnia ſciens*, titulus tractatus cuiuſdam apud Angelum Politianum, Pannones, Pantaleemon *in quo valde lapſus eſt Gauantus*, Parætones, Parthaon, Paphlagones, Pelagones, Pelendones, Peletrones, Pelenones, Pemphredon inſectum quoddam ex veſparum genere, ſeu pamphredo, pepones *fructus ſat noti*, perictiones, *id eſt finitimi*, Phaniones, Philæmon, Philamon *ſeu* Philemon, Philopemon, Phradmon *ſeu* Phragmon, Phyſiognomon, Plangon, Pictones *quâ in voce hallucinan-*

tur Despauterius & Thesaurus LL. Polycaon, Polydæmon, Polygiton, Polyphradmon *seu* Polyphragmon, Polypemon, Polyphron, potamogiton *herba quædam,* Prion, *id est serra (nam* Prion *Rex quidam apud Valerium Flaccum producitur)* procyon *seu antecanis stella,* Protaon, Pyracmon.

Nota *Paon* vel cùm medicum illum celeberrimum, vel cùm pedem quemdam metricum, aut cantilenam significat, crementum longè meliùs producere, vt docuimus pluribus in Elenchi Analectis Differt. XIX. pag. 347. & seq.

Sidonius *Phædonis* crementum corripit, cùm tamen apud Platonem, Suidam, alióſque penultima scribatur per ω. Sunt quoque qui *Phaonis* crementum corripiendum edicant, sed mendosè omnino.

R

Rhedones inter Armoricos Celticæ Galliæ populi.

S

Sandion, Santones, Sarpedon, Sasones, *qui sæpius scribuntur* Saxones, Scython, Senones *qui & apud Stephanum* Sennones, Sindon *quoddam vestis linteive genus,* Singidon apud Theophylactum Simocattam, Siredones, id est Sirenes Ausonio, Siriopæones, Sophron, spadon, *id est spasmus,* (non verò hic spado spadonis) Steredon *vrbs,* Strymon *fluuius,* subdiacones, Suessiones, *quamquam in Strabone legatur omega, vt observauimus in Elencho,* Syliones.

Nota verò *Sidon, Sithon & Stridon* meliùs crementa producere.

T

Teredon *vrbs*, Teuthredon *vrbs*, Teutones *populi*, Thelxion, *ſaltem apud Pauſaniam*, Theogiton, trygon *id eſt paſtinaca piſcis, vel turtur auis*, ac Trygon *nutrix Bacchi apud Pauſaniam*, Turones *Galliæ populi, vt ipſe fatetur Ganantus, licet alij contrarium doceant*, Typhaon, *(non verò Typhon, Tryphon, aut Trigon)* Tzacones *haſtati quidam ſtationarij apud Codinum*.

V

Vangiones, Vaſcones, *vt euicimus contra nonnullos*, Vindones, & ſi quæ alia diligentiam quoque noſtram in hâc Editione, *quæ prioribus amplior eſt ac locupletior*, effugerint, in ſequentibus, ſi fauerit Deus, cæteris magno labore hactenus conquiſitis adiungenda.

Cæterùm hic Coronidis loco pauca mecum quæſo aduerte.

Primum. Quòd ad crementa ſequentium nominum *Ægæon*, *Alcmæon*, *Almon*, *Actæon*, *Edones*, *Marcion*, *Orion*, *Pæon*, cùm medicum, pedem, aut cantum ſignificat, *Stridon*, *Sidon*, *Sithones*, quæ à quibuſdam correpta reperiuntur, conſulendum fuiſſe quod in Theſauro integro ſiue ELENCHO noſtro Proſodico, eiuſque Appendice ad ſingula ſuis locis annotaueramus. Interim me auctore, *vt iam ſuprà monitus es*, ea inter pronuntiandum non vereberis producere.

Alterum. Multa præterea apud Græcos eſſe nomina, quæ crementum corripiant: vt exempli gratiâ ἄχμων, ἀπείρων, ἀπέρμων, κίων, λαγὼν, πίων, &c. ſed præcipuè Comparatiua omnia in ων, quæ quia

quia à Latinis ſcriptoribus vſurpari non ſolent, fuerunt hîc à nobis ſilentio inuoluenda.

Tertium. Gulonium vix decimâ parte nominum eorum, quæ à nobis in ſuperiore Catalogo hinc inde collecta ſunt, in ſuo Gnomone repræſentatâ, *Babylonis*, *Morionis*, *Nazomonis*, *Samſonis*, *Scorpionis*, *Simonis*, *Theonis*, *Thölegonis*, & ſimilia nominum crementa, vel expreſsè, vel in eorum deriuatis inter corripienda propoſuiſſe.

Poſtremum denique, fieri vix potuiſſe, quin in primâ, necnon ſecundâ, ac vltimâ hac quoque à nobis ſuſceptâ collectione nonnulla vocabula diligentiam noſtram effugerint, quæ tu ipſe dùm occurrent, addere cæteris, ne memoriâ excidant, aut ſecuturas editiones expectare non grauaberis.

XXXIX. DISSERTATIO.

De frequentioribus terminationibus deriuatorum in antepenultimis, cùm de penultimis iam dictum ſit ſatis in Enchiridio Proſodico emendatæ pronuntiationis certiſſima Amuſſi, ex parte XI. Proſodiæ illuſtratæ.

§. I.

De vocalibus que producuntur.

A producitur in verbalibus quæ à ſupino longo deriuantur in iſtis terminationibus: *Abilis*, *Abulum*, *Abundus*, *Aculum*, *Acundus*, *Amentum*, *Atio*: vt patet in amabilis, aratio, cogitabundus, crepitaculum, errabundus, iura-

mentum, venabulum, &c. Huc non pertinent *habilis*, *ſtabilis*, *ſtabulum*, *ſtatio*, & ſi quæ alia.

Aceus, *Acius*, *Aculus*: vt herbaceus, erinaceus, vernaculus, dicaculus, &c.

Agulum & *Aginta*: vt coagulum, repagulum, quadraginta, &c.

Aneus: vt araneus, extraneus, mediterraneus.

Arium: vt acetarium, roſarium, bellaria, olearius, dulciarius, &c.

Atius & *Aticus* in Latinis nominibus, vt Curiatius, aquaticus, Horatius, fanaticus, ſyluaticus, &c. ſic fæneratitius, pignoratitius, &c. Græca ferè omnia corripiuntur, iis exceptis quæ à primigeniis productis oriuntur.

Ebilis, vt delebilis, flebilis.

Ecula in diminutiuis: vt diecula, plebecula, vulpecula, ſpecula à ſpes, recula à res, &c.

Eria & *erium*, in Græcis τηεία & τήειον: vt arteria, baptiſterium, cauterium, niceterium, ſoteria.

Eſimus in numeralibus: vt centeſimus, milleſimus, &c.

Eticus in Græcis verbalibus, quæ ferè omnia per η ſcribuntur: vt Arithmeticus, ſpleneticus, phreneticus, &c.

Imentum: vt detrimentum, nutrimentum, rudimentum, pauimentum, &c. præter monimentum, & ſi quæ alia à ſupinis breuibus.

Ocinor & *Ocinium*: vt patrocinor, latrocinor, ratiocinor, ſermocinor, lenocinium, tirocinium,

Onius, à crementis longis: vt Babylonius, &c.

Vmentum à ſupinus longis: vt argumentum, indumentum, inſtrumentum, &c.

§. II.
De vocalibus quæ breuiantur.

E*Bundus*: vt gemebundus, tremebundus, & si quæ alia à supinis breuibus, necnon in *ibundus*: vt moribundus, pudibundus, &c. quibus caue sis iungas sitibundus.

Ibilis solet breuiati: vt horribilis, possibilis, sensibilis, terribilis, &c. exceptis, scibilis, audibilis, aliísque à supino longo in *itum* deriuatis.

Ibulum: vt patibulum, prostibulum.

Iculus, *icula*, *iculum*, siue deriuata sint, siue ad ea accedant, vt cubiculum, curriculum, lenticula, ventriculus, &c. præter canicula, clauicula, craticula, cauticula, febricula, siticula, viticula, quibus addi possunt pediculus, cuniculus, periculum, feliculus, atque sorticula. *Auriculam* quoque legas apud Phædrum productâ secundâ, contrà quàm alij Poëtæ vsurpauerint; sed in hoc ipse, aliique Latini sequuti videntur Comicos Græcos, quos similia attentasse obseruamus quarta parte Prosodiæ Græcæ.

Ilnenus & *Imonia*, *Imonium*: vt gracilentus, macilentus, acrimonia, querimonia, patrimonium, vadimonium.

Iternus in adiectiuis: vt æuiternus, sempiternus, &c.

Itia & *Ities*: vt caluities, durities, mollities, segnities, auaritia, &c.

Itius, siue *Icius*; nam quædam vtroque modo scribuntur: vt natalitius, patricius, Saturna-

litius, Tribunitius, propicius, &c. præter Apicius, Mifitius, nouitius, Politius, & quæ à verbis & participiis deriuantur: Ea enim omnia Grammatici quidam volunt antepenultimam producere, quibus plurimùm fauent Poëtarum Comicorum quæ superfunt, carmina: vt abreptitius, emiſſitius, fictitius, ſuppoſitius, & ſimilia.

Oſia & *Oſius*: vt Ambroſia, Hoſius, Soſius, Sympoſius, Syracoſius, Theodoſius, quibus ex Silio Italico addunt alij Leucoſiam inſulam, quæ tamen apud Græcos per omega ſcribitur, vt diximus alibi.

Oſyne & *Oſynon* in Latino-Græcis: vt eleemoſyna, Euphroſyne, mnemoſynon, &c.

Vlentus: vt fraudulentus, lutulentus, &c.

* *Vuies* & *Vuium*: vt colluuies, diluuium, ingluuies, malluuium, pelluuium, profluuium.

Plura non eſt quod quis à me hìc exigat vltrò breuitatem profeſſo; Atque vtinam hæc ipſa non cuipiam nimia videantur: certè ea tantùm recenſere ſtudui, ad quæ deficientibus Poëtarum Claſſicorum exemplis rudes plerumque lectorum animos amandare poſſem, ne toties repetitâ Battologiâ, & paginas plures ſine fructu implere, & nauſeam faſtidioſis creare de induſtriâ viderer.

Omittere tamen hoc loco nequeo communem deriuatis omnibus legem, quâ primigeniarum vocum quantitatem ſeruare tenentur, adeóque ſeruant religiosè, vt paucis exceptis, apud Latinos *Eadem ſit primitiuorum ac deriuatorum quantitas.* Quod quia latiſſimè patet, pueris identidem inculcandum eſt, ne cogantur ad ſingula

vocabula, quæ ipsis ocurrunt, libros suos non sine molestiâ dispendióque temporis consulere.

Excipit ab hâc regulâ generali Aluarez primò, *lucerna*, *arista*, *sopor*, *vadum*, quibus alij addunt *dicax*, *lituus*, *nato*, *vitium*, & pauca quædam quæ primam corripiunt, licèt verba *luceo*, *areo*, *sopio*, *vado*, *dico*, *lites*, *natum*, *vito* eamdem producant.

Excipit secundò *laterna*, *fomes*, *mobilis*, *regula*, sed si laternam excipias, quæ tamen ab aliis aliunde deriuatur, *regula* à genitiuo regis, *fomes & mobilis* à supinis fotum & motum deducuntur: Rectiùs ergo *tegula* à verbo tego, *iucundus* à verbo iuuo, *humor* ab humus, *iugerum* à iugo, *iunior* à iuuenis, *macero* à macer, *nitela* à niteo, *nonus* à nouem, aut quid simile in exemplum allatum fuisset.

Alius quoque vir doctus hæc obseruauit: In sequentibus deriuatio mutat quantitatem: *Regula* & Rex *Regis* à *rego*; *vocula* & vox *vocis* à *voco*; *macer*, *macilentus*, *macies*, *maceo*, à *macero*; *sopor* à *sopio*, *flabellum* à *flabrum*: *tigillum* à *tignum*; *sigillum* à *signum*; *ofella* ab offa: *mamilla* à mamma: *lucerna* à luceo: *vadum* à *vado*; *stabilis*, *stabulum*, *stabulor*, à *stare*, *staturus* à *supino statum*: *acerbus* ab *acer*: *arista* & *arena* ab areo: *farina* à *far*: *curulis* à *currus*: *strigilis* à *stringo*: *fragilis* & *fragor* à *frango*: *fides* à *fido*: *liquidus* à *liquor liqueris*. At ista propter contractionem producta sunt, *mobilis* & *momentum*, à *moueo*: *laterna* à *lateo*: *iucundus* à *iuuo*: *iumentum* à *iugum*: *fomes* & *fomentum* à *foueo*: *iunior*

à *iuuenis*, pro mouibilis, mouimentum, latiternas iuuicundus, iugimentum, fouimentum, iuuenior.

Attendendum itaque sedulò omnibus, sed maximè tironibus, vnde tandem oriantur deriuata, maximè in temporibus verborum à præsenti vel præterito formari solitis; ideo enim *vocabulum & vociferor*, *sedile & sedes*, *veniebam & veneram*, *videbo & videro*, *emerem & emeram*, *iuuarem & iuuissem* quantitate discrepant, quòd illa à *voco*, *sedeo*, *venio*, *video*, *emo*, *iuuo*; hæc à *vox vocis*, & præteritis *sedi*, *veni*, *vidi*, *emi*, *iuui* declinantur.

XL. DISSERTATIO.

De compositione vocum Latinarum.

HIs præmittendæ videntur compositionis regulæ, quas apud vulgares Grammaticos malè digestas placuit in meliori lumine collocare.

Prima Regula.

Composita à simplicibus pendent, vt eorum breuitatem vel longitudinem etiam mutatis vocalibus sequantur: exempla passim obuia.

Excipiuntur quædam *deiero*, *peiero*, *innuba*, *pronuba*, *nihilum*, *ambitus* participium, *semisopitus*, *causidicus*, *maledicus*, & similia nomina à *dico* deducta.

Cùm autem composita omnia vel ex præpositionibus constent, vel ex aliis orationis partibus, de vtrisque separatim dicendum, sit ergo,

Secunda Regula.

Præpoſitiones in compoſitione breuiantur, exceptis *e*, *ex*, *de*, *di*, *ſe*, & *tra* pro trans: quibus adde *a* & *pro* in Latinis: nam in Græcis ſeu Latino-Græcis ſemper corripiuntur. *Sunt tamen nonnulla, quæ ab hac regulâ generalia aberrant ſequentibus exceptionibus comprehenſa.*

Prima. *De*, *præ* & *pro* ſequente vocali corripiuntur, vt *deerro*, *dehiſco*, *præuſtus*, *praeo*, *prohibeo*.

Secunda. *Refert impersonale* primam producit, quam geminatâ conſonante protrahunt licenter, *rettuli*, *repperi*, *reppuli*, *relligio*, *relliquiæ*, & ſi quæ alia apud idoneos ſcriptores reperias.

Tertia. *Dirimo*, *diſertus*, *omitto*, & *operio* primam corripiunt.

Quarta. Quæ à *procul* finguntur eſſe compoſita, cum Græcis conueniunt. Ea ſunt *profugio*, *profaris*, *profiteor*, *proficiſcor*, *propero*, *profano*, *profanus*, *profundus*, *profeſtus*, *profugus*, *proteruus*, *pronepos*, *proneptis*, *procella*, *profectò* aduerbium, & *propago* cùm genus ſignificat.

Quinta. *Procuro*, *profundo*, & *propino* primam variant, & apud Lucretium *propello* & *propulſo*, quam tamen ſatius eſt producere. *Atque hæc compendio perſtricta in ſingulis dilatata tibi exhibebit Ianua Muſarum reſerata ſtudio R. P. Ludouici Caualli, ſimileſque Proſodici libri.*

Tertia Regula.

Quando compoſitum ex aliâ orationis parte

coaleſcit, vocalis, quæ priorem compoſitionis partem claudit, ferè ſemper corripitur in Græcis Latiniſque dictionibus: vt *Archemorus*, *Archetypus*, *Bardocucullus*, *Carpophorus*, *ignipotens*, *liquefactus*, *hodie*, *quandoquidem*, *Philologus*, *Palæologus*, *agonotheta*, *vaticinor*, *vociferor*.

Excipe 1. *tepefacio*, *liquefacio*, *patefacio*, *rarefacio*, & alia, quæ ſecundas producunt apud Catullum, Ouidium, Lucretium, quas alij omnes in iis & ſimilibus compoſitis corripiunt. Adde compoſita quædam à *ve:* vt *vegrandis*, &c. *Veneficus* conciſum per ſyncopen videtur ex *venenificus*.

Excipe 2. *ibidem*, *vbique*, *tibicen*, *bigæ*, *ac biduum*, ſimiliſque formæ nomina: compoſita item à *dies*. Ouidius ſecundam in *vbicumque* produxit, Catullus autem in *quotidianus* corripuit, ſed vterque, vt arbitror, metricâ neceſſitate compulſus.

Excipe 3. *Lagopus*, *Geometer*, & ſi quæ alia apud Græcos per ω ſcribuntur. Nam *Theophilus* & *Theophila* à Martiale, *Leucopetra* à Fannio licenter fuere producta.

Excipe 4. *nolo*, *quandoque*, *quandocumque*, *intro & retro* in compoſitis, vt vult Aluarez, bis tamen apud Auſonium in Ludo ſapientum *intro* correptum videbis, & vulgò ab omnibus paullò eruditionibus in *introduc* antepenultima attollitur. Plura dabit Elenchus noſter.

Excipe 5. (quod à nemine obſeruatum ſæpe miratus ſum) multa apud Græcos nomina, quæ primam compoſitionis partem producunt in a longum

longum desinentem, quod vel à nominatiuo communi, vel Dorico secundæ declinationis proficiscitur: vt *Agoranomus, aretalogus, genealogus, Hierapolis, Theagenes, Neapolis*, &c. Timagenes apud Hor. Latomus, Latomia, Lamachus.

Composita quæ penultimam corripiunt.

NOn hic agimus de iis compositis, quæ ex præpositionibus coalescunt; sed de aliis dumtaxat: alioquin omnia penè tum verba, tum adiectiua, quæ in Smetio aut in Ianua Musarum R. P. Caualli proposita sunt, in hoc quoque indice exscribenda fuissent.

A & E

Composita à cano, frango, parens, patens, vagus, genus, pes, fero, gero, penultimam corripiunt: quibus adde magus vel magum in vrbium quarundam, maximè Gallicarum, nominibus propriis.

Exempla sunt. *Dulcicanus, ossifraga, saxifraga, syluifragus, ouipara, omnipatens, bipatens, altiuagus, Drusomagus, Ricomagum, Rhotomagus, indigena, omnigena, bipedes, loripes, armigeri, vaticinus, montiuagus, naufragus, crurifragium, hæredipeta, cornupeta*, &c.

I

Composita ab *animus, bibo, dico*, sed in nominibus dumtaxat, *facio, findo, video*, & propria quarundam, præsertim Hispaniæ, vrbium nomina in *brica* vel *briga*: vt *beneficus, causidicus, flexanimus, merobiba, omniuidus, quadrifidus, rapilus, Iuliobriga, Nertobriga*, & similia, quæ

ſæpè apud Ptolemæum leges, res tamen adeò mihi certa non eſt, vt contrarium ſentientem arguere velim. Conimbrica, Segobriga, Medobriga, Flauiobriga, Auguſtobriga.

O & V

Compoſita à colo, color, fores, loquor, modus, potens, ſonus, volo, fluo, fugio, iugum, tucor, vt *Marticola, Publicola, multicolor, bifores, veriloquus, omnimodus, pennipotens, altiſonus, velinolus, beneuolus, quadriiugus, omnituens*, &c. quibus adde duo compoſita à *nubo*, de quibus ſuprà: nam de *multinuba* idem aſſerere vix audeo.

Compoſita quæ penultimam producunt.

Compoſita à *luceo, nodus, numus, ſanus, ſuadeo, ſugo*, quibus addenda videntur vrbium plurimarum nomina in *briua, dunum* & *durum* deſinentia; vt *noctiluca, trinodis, enodis, multinumus, maleſanus, maleſuadus, ſanguiſuga, Samarobriua, Lugdunum, Magdunum, Octodurum, Regiodunum*, &c.

XLI. DISSERTATIO.

De compoſitione vocum Latino-Græcarum.

SVB finem compendij Emmanuelis Aluarez additus eſt horum compoſitorum indiculus, quem ſi cum ſequentibus tabulis conferre volueris, quàm exiguum ſit præ hac vberrima meſſe ſpicilegium, ipſe iudicabis.

A vocalis penultima corripitur in sequentibus.

Ἀγαθὸς, archagathus, pantagathus.

ἄγω, Astyages, Lucagus, Vragus, vertagus, si tamen Græca sit, aut semi-Græca. Choragus Doricum est, & venit à χορηγός.

ἄγρα & ἀγρὸς, chiragra, creagra, onager, Tanager, podagra, pyragra, Philagrus. De *Meleagro* res non omnino explorata est: sunt enim qui producant.

ἀλλαγὴ, enallage, hypallage.

ἅλς, ἁλὸς, Euryalus, paralus, ocyale.

ἄναξ, Astyanax, Plistoanax.

βαίνω, Andabatæ, catabasis, epibatæ, epibathron, Eurybates, Messabatæ, Oribasus, parabates, parecbasis, schœnobates.

βάτος, & βαφὴ, cynosbaton, dibaphus, oxybaphus.

βραχὺς, amphibrachys, tribrachys.

γάλα, γαλῆ & γάρον, oxygala, mygale, oxygarum.

γάμος, bigamus, monogamus.

γράφω, apographum, autographum, chirographum, epigraphe, paragraphus.

δαμάω, adamas, Eurydamas, Hippodame, Iphidamas, Polydamas. Excipe quæ Doricè fiunt ex δῆμος, *Archidamus*.

ἔλαφος, hippelaphus, tragelaphus.

κεφαλὴ, Bucephalus, cynocephalus, cynoscephalę.

κλάσις, antanaclasis.

κράτος, Callicrates, Democrates, Isocrates, Polycrates, Socrates.

λαβὴ, astrolabium, pantolabus.

μανία, hippomanes, Tisomanes.

μάχη, Andromache, Antimachus, Ariſtomache, Callimachus, Epimachus, Lyſimachus, Ophiomachus, Theomachus.

πάγος, Areopagus, de quo conſule Appendicem ad catholicos Indices ac ſuprà pag. 292.

πάλη, vel πάλιν, Bupalus.

πατήρ, Antipater, Cleopatra, Eupater, Philopater, Sopater, Soſipater.

πράσον, chryſopraſus.

στάσις, στατὴς, vel ἵσαμαι, ἵσαται, apoſtata, antiperiſtaſis, cataſtaſis, epiſtatæ, hypoſtaſis, paraſtatæ.

στρατὸς, Calliſtratus, Philoſtratus, Nicoſtrata, Soſtratus.

τάσις, vel τίτασαι, protaſis.

φάγος, vel ἔφαγον, œſophagus, Pamphagus, polyphagus, pultiphagus.

φάνης, ſeu potiùs φαίνω, Apollophanes, Ariſtophanes, diaphanus, Epiphanes.

φάσις ſeu φημὶ, Antiphates, apophaſis, emphaſis.

φράσις, antiphraſis, periphraſis.

χάρις, acharis, eucharis, Demochares, Philochares.

E vocalis penultima corripitur in ſequentibus.

Αετὸς, haliæetus.

αἴνεσις & αἵρεσις, aphæreſis, paræneſis, Ariſtænetus, Epænetus.

ἀρετὴ, Anaxarete, Panaretus, Phanarete.

γένος, Antigenes, Archigenes, Diogenes, Hermogenes, Origenes, Protogenes.

δέδεμαι, chryſendeton, polyſyndeton.

ἕδρα, cathedra, exedra, octaëdrum, icoſaëdrum, paredrus.

ἔντερον, exentero, dyſenteria.

ἔρως, Chryſeros, paneros, Phileros.

θέμις, Chryſothemis.

θεός, atheus, Dorotheus, Doſitheus, Idothea, Leucothea, Timotheus.

θέμα, θέσις, θετός, ſeu potiùs τίθημι, agonotheta, antitheſis, antitheton, epithema, epitheton, hypotheſis, logotheta, nomotheta, parentheſis, & anathema, de quo plura diximus in Appendice ad catholicos Indices & ſuprà à pag. 277.

ἡμέρα, Euemerus, ephemeris, ephemerus.

κέρας, rhinoceros, monoceros.

κλέος vbi ſimplicis epſilon ſeruatur, nam vbi adſciſcitur iota, penultima producitur. Vide ſequentem tabulam.

λέων, myrmecoleon, Timoleon.

μέδων, Andromeda, Automedon, Eutymedon, Laomedon.

μένος vel μένω, Alcamenes, Ariſtomenes, Cleomenes, Eumenes, Hippomenes, Nyctimene, & fortè Parmenas: nam Melpomene & ſimilia, de quibus ſuperiore diatriba diximus, non ſunt compoſita, nec à μένος deſcendunt.

μέτρον, diameter, epimetron, geometra, trimetrum, dimetrum, &c.

ξένος, Ariſtoxenus, Polyxena.

πέτομαι, Ocypete.

πέτρα, empetron.

πόλεμος, Archipolemus, Eupolemus, Neoptolemus, Triptolemus.

σθένος, Antiſthenes, Boryſthenes, Calliſthenes, Demoſthenes, Laſthenes, Pliſthenes, Soſthenes.

σκέλος, monoſceli, onoſceles, iſoſceles.

τέλος, Ariſtoteles, Praxyteles, Pyrgoteles.

φρένες, metaphrenon.

I, vel Y, vocales penultimæ corripiuntur in ſequentibus.

Βίος, Archibius, Polybius.

δέδυσαι, δέδυται à δύω ſeu δυώω, adytum, Ammodytos, Troglodytæ, de quibus in Appendice iam citata, & ſuprà pag. 400.

δίκη, Archedicus, Eurydice, Laodice, Hellanodicæ.

θυτὸς, vnde idolothytum, quod certo certius penultimam corripit, quidquid contrà ſentiant quamplurimi. Vide quæ obiter annotauimus quarta parte Proſodiæ Græcæ in tertia Verbalium ac Deriuatorum Claſſe, & ſuprà pag. 313.

κέκλιμαι, heteroclitus.

κέκριμαι, Aſyncritus, Democritus, hypocriſis, hypocrita, Oneſicritus, Theocritus.

κλυτὸς, inclytus, non verò Paraclytus, vt quidam volunt.

κύκλος, hemicyclus.

λέλυσαι, λέλυται à λύω, Hippolyte, Hippolytus, paralyſis

λίθος, Chryſolithus, tecolithus.

λύκος, Autolycus.

μίτος, polymitus.

ξύλον, erioxylon.

ὄνομα, anonymus, Callionymus, Hieronymus, ſynonymus.

ῥυτὸς, catarrhytus.

πῦρ, dipyrus: quæ verò à πυρὸς πυροῦ, vide ſequen-

ecm tabulam.

πύλη, Eurypylus, Hypsipyle.

στίχος, distichon, monosticha, tetrastichon.

τρίβω, seu potiùs ἔτριβον, diatriba, pædotriba.

τύπος, archetypus, ectypon, prototypon, zelotypus, si tamen inde, & non potiùs à πίνω.

τύχη, Eutychus, syntyche.

ὕδωρ, Chelydrus, chersydrus, clepsydra.

φίλος, Herophile, œnophilus, Theophilus, Theophila.

φύλαξ, Arctophylax, chartophylax.

φυτὸν, Neophytus.

O vocalis penultima corripitur in sequentibus.

Ἀγορὰ, Anaxagoras, Diagoras, Protagoras, mandragora, quod tamen non videtur inde componi.

βάλλω seu βέβολα, diabolus, hyperbole, parabola, peribolus, pyroboli.

βόσκω, Hippobotæ.

βροτὸς, Cleombrotus.

γέγονα, Antigone, Calligone, Chrysogonus, Epigoni, Erigone, polygonum, thelygonon. Diligenter vide ne composita à γωνία cum istis confundas, aut contrà.

δόκος, Demodocus, Laodocus seu Leodocus.

δέδομαι &c. à δίδωμι, antidotum, apodosis, Herodotus, Theodotus, Zenodotus.

ἔχω, Antiochus, parochus.

δέδρομα, Callidromus, catadromus, endromis, epidromis, hippodromus.

δρόσος, pandrosus.

θοὸς, Cymothoë, Leucothoë, Hippothous, Prothous.

κόμη, acerſecomes; chryſocome, Opiſtocomæ: at verò Crepalocomus à κῶμος, & encomium à κόμη.

κόλον, Bucolica, dyſcolus.

κόπ]ω, artocopos, apocope, oſtocopus, ſyncope: epiſcopus aliunde venit.

κόρη, Dicorus, Dioſcorus & Dioſcora: at Dioſcuri Caſtor & Pollux à κοῦρος.

κόραξ, nyċticorax.

κρότος, dicrotum nauigium.

λόγος, apologus, aretalogus, catalogus, epilogus, morologus, philologus, prologus, theologus.

λόφος, Chærolophus.

λόχος,. Archilochus, ariſtoloche, Eurylochus, Terpſilochus.

μόρος & μόρον, Archemorus, ocymorum, ſycomorus, de quo vide Appendicem ad catholicos Indices, & ſuprà pag. 387.

νόμος, aſtronomus, Aſtynome, Chironomus, Eunomus, Eurynome.

νόος, Antinous, Autonoë.

νοτὸς, Lybonotus, Euronotus, Curonotus.

ὁδὸς, exodus, methodus, periodus.

ὄνυξ, ſardonyx.

ὀπὶ vox, Antiope, Calliope, Caſſiope, Parthenope.

πέποται, πέποται, archipotes, catapotia, hydropotes, ſympoſium.

πόλις, Amphipolis, Decapolis, metropolis, Neapolis, Nicopolis, Pentapolis, Perſepolis, propolis, &c.

πόνος, Aponus, Philoponus.

πoῦς πόδος, Agathopodes, apodes.

ῥόδον, cynorrhodon.

ῥέω, Callirhoë, Chryſorrhoas, Ocyroë.

σκοπὸς, epiſcopus, horoſcopus, meteoroſcopus, Vranoſcopus.

σοφὸς, Philoſophus.

στέλλω ſeu ἔστολα, Apoſtolus, epiſtola.

στόμα, Aſtomi, Chryſoſtomus.

στρέφω, antiſtrophe, apoſtrophe, cataſtrophe, diſtrophus, tetraſtrophus.

τέμνω, atomus, epitome, latomus, prototomi.

τρέπω, Atropos, Heliotropium, protropum, Callitropa.

φόβος, Deiphobe, Deiphobus, hydrophobi.

φόνος, nebrophonus, Perſephone, Tiſiphone.

φορὰ ſeu φέρω, anaphora, Chriſtophorus, Doryphorus, metaphora, Oneſiphorus, & Boſphorus, niſi malis cum aliis à πόρω deriuare, & ſcribere Boſporus.

χορὸς, Plutochorus, Terpſichore, Prochorus, cui tamen negatur aliquando aſpiratio.

χρόνος, polychronus, ſynchroni.

Notanda ſunt præterea nomina propria Latino-Græca, quæ vltimam compoſitionis partem habent monoſyllabam, & ad regulam tertiam compoſitorum pertinent: vt Ariphron, Ariſtonus, Agathopus, Demophon, daſypus, Eurycles, Iphiclus, Lamprocles, Lycophron, Megiſtonus, Nicophon, Patrobas, Patroclus, Xenophon, & alia quamplurima, quæ penultimam corripiunt, vt apud Latinos aliger, alipes, ſemifer, ſeminir, vndique, tubicen, &c.

A, vocalis penultima producitur in ſequentibus.

Ἀρατὸς, Demaratus, Pytharatus.

ἰατὴρ, archiater, cteniatrus, philiater.

λαὸς, Archelaus, Charilaus, Menelaus, Nicolaus.

θέατρον, amphitheatrum.

E, vocalis penultima producitur in ſequentibus.

δῆμος, Archidemus, Cleodemus, Eudemus, Nicodemus.

ζῆλος, cacozelus, Polyzelus.

ἥβη, Ephebus.

θήκη, apotheca, bibliotheca, chirotheca, lipſanotheca.

κῆδος, Diocedes, epicedium.

κλέος cum adſciſcitur i vt fiat diphthongus: vt Euryclea, Crateſiclea, Heraclea, Heraclius, Timoclea, & ſi quæ alia, quæ vt verum fatear, proximè non manant à κλέος.

κλῆρος, Nauclerus.

μῆδος, Archimedes, Cleomedes, Diomedes, Eumedes, Palamedes.

μῆλον in vtraque ſignificatione: Chryſomela, Eumelus, Philomela.

μήτρα, ortygometra.

νῆσος, Cherſoneſus, Myoneſus, Peloponeſus.

πέπηγα, Naupegus.

σῆμα, Cynoſſema.

φήμη, blaſphemus, Periphemus, Polyphemus.

Iis adiunge quamplurima quæ à præteritis primæ & ſecundæ coniugationis circumflexorum in ημαι, ησαι, ηται, componuntur, quæque hic ſub vnum aſpectum lectoribus percurrenda placuit exhibere: Eiuſmodi ſunt, Anachoreta, apoſtema, anachoreſis, apo-

ſiopeſis, catachreſis, diadema, diaſtema, Diognetus, Epictetus, enthymema, epiphonema, peripſema, Philoctetes, problema, ſyntereſis, & quamplurima alia. De Paracleto conſule appendicem ad Catholicos Indices, & ſuprà pag. 351.

I, & Υ, vocales penultimæ producuntur in ſequentibus.

ἀφροδίτη, Epaphroditus, hermaphroditus.

γείτων, Ariſtogiton, Polygiton, Theogiton.

δοχεῖον & τροφεῖον, Noſodochium, Pandochium, periſterotrophium, brephotrophium.

εἶδος in quamplurimis adiectiuis, Cycloides, conchoides, rhomboides, ſphæroides, &c. Mathematicis & Medicis familiaria.

ζύμη, vnde azymus, cuius tamen penultima & ab Aluare, & ab omnibus vulgò corripitur. Vide Appendicem ad Catholicos Indices, & ſuprà pag. 295.

θυμός, Euthymus, Lipothymus, Prothymus.

κλειτός, Ariſtoclitus, Heraclitus, Polyclitus. Caue autem heteroclitum iis adiungas.

κλίνη, architriclinus.

μῖμος, archimimus, pantomimus.

μυῖα, cœnomyia ſeu cynomyia.

νίκη & νεῖκος, Andronicus, Ariſtonicus, Bernice vel Berenice, Callinicus, Demonicus, Eunice, Hieronicæ, Polynices, Olympionicæ.

Caue tamen, ne deriuata Latino-Græca in νικός, de quibus pluribus in ſuperiore diatribâ, pro compoſitis à νίκη penultimâ productâ pronunties.

πυρὸς πυρού, autopyrus panis, cui adde papyrus, vnde vnde deſcendat.

σῖτος, parasitor, parasitus.

τεῖχος, Didymotichos, Leucotichos, Neontichos, & similia vrbium, locorúmve nomina.

τιμὴ, Diotimus, Philotimus, Polytimus, Theotimus.

τυρὸς, vnde butyrum.

φῦλον, allophylus, Eriphyle, Creophylus, Triphylus, Pamphylia.

χυλὸς & χυμὸς, cacochylus & cacochymus, euchymus; quamquam res non vsquequaque explorata apud omnes.

O, vocalis penultima producitur in sequentibus.

ἀγωγὴ, Epagoge, Isagoge, mystagogus, pædagogus, paragoge, synagoga & compositum archisynagogus.

ἄμωμον, cinnamomum.

γωνία, erigonum, exagonum, trigonum, tetragonum, &c.

δῶρον, Apollodorus, Cassiodorus, decadorum, Herodorus, Isidorus, Pandora, pentadorum, Polydorus, &c.

ζώνη, polyzonus.

κῶλον, dicolos, macrocolum, protocolon, tricolos.

πωλέω, aromatopola, bibliopola, monopolium, myropola, œnopola, opsopolis, propolis, pharmacopola, &c.

ῥώμη, Eurome.

φωνὴ, antiphona, Euphonus, cacophonia.

χῶρος, Eurychorum, Neochorus, trichora.

ᾠδὴ, epodos, Hilarodus, melodus, & antepenultima in monodia, prosodia, psalmodia; tragœ-

dus & comœdus diphthongum seruant in lingua Latina.

ὦναξ, id est ὁ ἄναξ, Demonax, Hermonax, Heronax, Hipponax, Plistonax, &c.

ὢψ ὠπὸς, Cyclopes, cynopæ, Gorgopas, myopes, nyctilopes, pyropus, Rhodopis, sed non Rhodope.

His quoque annumeranda sunt quæ à præteritis in ωμαι, ωσαι, ωται, *verborum tertiæ coniugationis componuntur*, vt anadiplosis, anacephalæosis, antiptosis, aptoton, Callignotus, metamorphosis, metempsychosis, perizoma, Polygnotus, polyptoton, &c.

V vocalis penultima producitur in sequentibus.

Βουλὴ, Aristobulus, Cleobulus, Eubulus, Thrasybulus. Vnum hîc nota Aristobolum penultimâ breui scriptum reperiri in Latinis quibusdam libris, tum 2. Maccabæorum cap. 1. tum in epistola D. Pauli ad Rom. cap. 17. in Græco tamen penultima per diphthongum scribitur semper.

δοῦλος, hieroduli, Theodulus.

δοῦπος, catadupi.

ἔχω, vbi fit contractio, eunuchus, rhabduchos.

οὐρὰ & οὖρος, arcturus, cynosura, Melanurus, Palinurus & paliurus.

Si quæ alia tibi, Lector optime, in peruolutandis veterum scriptorum libris occurrant, istis adiungere ne graueris; neque mihi animus aut otium fuit omnia perscrutandi.

XLII. DISSERTATIO.

Specimen Censuræ Prosodicæ recentiorum aliquot Prosodiographorum.

NE quid hîc deesse videatur, ecce tibi mantissæ loco partem aliquam delibatam ex Censura Grammaticorum recentiorum, qui cùm se aliis duces præbere voluerint, sæpius tamen à recto tramite deflexerunt. Vnum verò ex iis seligo Gauantum, de quo hæc postea deprehendi scripta à doctissimo viro Agno Benigno Sanreyo pag. 285. laudati suprà de Paracleti pronuntiatione opusculi: *Meam auxit admirationem, quod ipse Gauantus annotauit de nomine* anathematis. *Nam cætera quidem ad Sanctuarij pondus expendere non est operæ pretium. Verbi gratiâ, cùm scribit* accersitur *&* arcessitur *penultimam habere communem, communiori tamen vsu illam produci in* accersitur *vti,* inquit, *quartæ coniugationis; corripi verò in* arcessitur, *vti tertiæ. Nam si* arcessitur *solius est tertiæ, vt verè est, quâ lege ancipitem habebit penultimam?* Accersitur *verò quemadmodum penultimam semper producit quando est ab* accersio *quartæ coniugationis, ita semper corripit quando est ab* accersio *tertiæ: quo pacto longè frequentiùs flectitur & vsurpatur. Illa, inquam, & similia percurrere expediret.*

Verùm hæc ipse quidem spatiis disclusus iniquis
Prætereo, atque aliis post me excutienda relinquo.

Hoc ego hortatore beneuolo καὶ ἐργοδιώκτῃ non verebor quæ à pluribus annis inter liturarias chartas premebam, in communem vtilitatem, quam mihi vnam præ oculis pono, publici iuris facere.

Reuerendus Pater Bartholomæus Gauantus Præpositus Prouincialis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, vulgò Barnabitarum, & sacræ Rituum Congregationis Consultor, sectione 1. commentarij in Rubricas Breuiarij Romani cap. 5. tit. 5. num. 5. hæc habet: *Ad exactam prolationis formam, & præsertim in choro, valde iuuat cognitio verborum Grammaticalis, quænam corripienda sunt aut producenda: Et quia rudioribus sum ego debitor, addidi ad calcem huius operis eorum verborum notulam, quæ in Breuiario Romano sparsim habentur, & in quibus plurimi hærere possunt, & solent.* Tum subnectit *Martyrologij nomina dubiæ pronuntiationis ordine alphabetico collecta iuxta regulas* (vt ait, quàm verè videbimus infrà) *peritorum Grammaticorum ad vniformem vsum Clericorum Regularium S. Pauli.* Idem quoque Gauantus in fine Appendicis ad Rubricas Missalis hæc in fine subiungit: *Impulerunt me insignes Episcopi, vt in gratiam minùs peritorum sacerdotum ea separatim colligerem, quæ Missalis sunt propria, ne contingat vllus error in legendâ Missâ.*

Hæc ille, qui quantò cæteris in Ritibus sacris exponendis visus est antecellere, tantò in Prosodicis istis explicandis grauiùs peccasse conuincetur sequentibus paragraphis.

§. I.

Penultimam malè producit in ſequentibus.

AGileus & ſimilibus multis, quid ergo Achillei, Peleus, & ſimilia ipſe corripit.

Amaſias, ſed hoc familiare gentilibus ſuis peccatum pluries peccauit.

Amaſtride, audiat verò Suidam, ἔστι δὲ καὶ Ἄμαστρις πόλις ἐν πόντῳ κληθεῖσα ἀπὸ γυναικὸς Περσίδος Ἀμάστριδος: qui autem ſimilium nominum crementa neſciat omnino corripi, hunc Græcæ quantitatis oportet eſſe haud multùm peritum.

Ananias, vt *Amaſias*, *Oſias*, ac ſimilia.

Anthia: vnde, cur enim non Ammia ſimiliter, aut Obdulia?

Anterus, debuerat verò aſpirationem addere, ſi ab ἀνθηρός.

Areopagus, quidni enim Tirinum imitaretur, aut Aluarem, qui vulgarem hac in voce conſuetudinem dicam, an potiùs abuſum, καὶ παραχαρακτηρισμὸν procul abiecerunt, vt ipſe in chryſopraſus, elatæ, ac quibuſdam aliis prudens imprudenſve præſtitit.

Argei, *Ariſtei*, *Azarias*. Errat hic quoque.

Baiocis: at ſecundam in Baiocaſſes corripuit Auſonius.

Baſilei peſſimè, venit enim à βασιλεύς, non à βασίλειος.

Biblidis à Biblides, conſulendus Euſebius, nec ſanè patronymici huius terminatio videtur productionem exigere. *Bonitus*

Bonitus ſuſpectum cuipiam poterit videri.

Canion, meliùs fortè corriperetur.

Caralis in Sardinia, ſed vnde?

Cenomanos, vulgò tamen corripitur etiam apud ipſos Ciſalpinos ſeu Tranſalpinos Cenomanos.

Chareas, at in ſacris paginis (Græca tum veteris tum noui Teſtamenti conſule exemplaria) atque apud profanos ſcriptores penultimam ſolà vocalis occupat, adeòque & ipſe corripuerat Auſonius.

Cindei, *Clatei ac Cucuſam* valde ſuſpecta, equidem ſecundàm Cucuphatis cum prima corripuit Prudentius.

Cyrion, aut ſaltem minùs peritè Genitiuum eius Cyrionis ſubinde producendum edicit.

Deuſdedit, de quo pluribus infrà.

Dorothea: in orationibus, ait, longa ſunt Dariæ, Dorotheæ, &c. in ipſis quoque Martyrologij nominibus eamdem ſanctam Virginem cum longis recenſet: quàm verò abſurdè, quis vel cæcus non percipit? annon eadem eius ac Dorothei ratio, cuius tamen penultimam corripiendam aſſerit?

Droctoueus & *Furſeus* non malè, nam licèt magni viri corripere ſoleant; poterunt tamen produci, quia Græcam non ſapiunt originem, peregrinitatiſque notam præferre videntur.

Epiphane minùs cautè, neque enim nominis huius Græci eadem cenſenda conditio eſt atque barbarorum Vſthazanes, Tigranes, &c.

Epiſtemis, tantiſper ἐπέχω, donec Græcum codicem conſulam.

Erotheidis, malè venit enim ab Erotheis, quæ ancilla fuisse dicitur, sic & *Euprepidis* seu *Euprepitis* ab Euprepis penultimâ breui, vt Charitis, Iridis, &c.

Euagri, siue ab Euagrus flectatur, siue ab Euagrius, eadem quippe vtrobique origo ab ἀγρός.

Euthaliæ, neque enim à Thalia Musa, quod suspicari nonnulli possent, sed à masculino Euthalius descendit, vt Eulalia, Eumenia, Eustolia, Eutropia, Emmelia, &c. quas ipse rectè corripiendas professus est: consulendum Menologium.

Gaualis seu *Gabalis*, saltem vulgò contrarium fit auctoritate Fortunati, ac Sidonij propemptico ad libellum, seu carmine 34.

Tum terram Gabalûm satis niuosam.

Gurias & *Gorgias*, familiaria Transmontanis peccata.

Helconidis, *Hieronidis*, & *Leonidis*, ex quo enim capite dicenda produci horum quatuor penultima? Heraclidis fortè imposuit homini istas tricas, vt fit, haud apprime callenti. At alibi rectè corripuit crementum Erotidis, Rhaïdis, Serapidis, Thebaïdis.

Littei, cum sequentibus *Menei*, *Mosei*, *Narsei*, confige obelo: numquid enim Græcè saltem Μωσῆς, Ναρσῆς, vt de aliis taceam?

Luciæ, grandis sanè largusque quorumdam in hoc nomine abusus: annon, amabo, vox merè Latina? vnde ergo insolens illa in similibus productio? aut si semel effringendi regularum cancelli, cur non Ammia, Anastasia, Cæcilia, Leocadia, Natalia, &c. penultimam protrahent?

Maioli, vnde quæso? numquid Secundolus, Ferreolus, Marolus, Basolus, Domnolus, Fidolus, Viuentiolus ipsius edicto corripienda? vbi ergo analogia?

Manneas & *Mareas* suspecta. De *Ozias* iam dixi sæpe quid sentiam.

Palmyra, docuimus porro in Elencho nostro meliùs ex generali regula corripi.

Pantaleemonis, minùs profectò circumspectè: ἐλεήμων crementum omnino corripit, vt vel ipsa docere poterat eleëmosyna.

Papia vrbis nomen, ait, nam viri corripiendam affirmat. vnde? quove priuilegio? cur non ergo similiter Anagniæ, Narniæ, Ostiæ, Pamiæ, Signiæ, Venetiæ, &c. penultimis productis?

Pausidis, *Photidis*, *Platonidis*, vt minimùm dicam valdè suspecta.

Phileus, at per epsilon Græcè scribitur, quemadmodum & *Thraseas*: quorsum verò ipse *Barbea* penultimam corripuit?

Pinyti vnde? nec similis ratio est ac Beryti, certè Anytus corripit.

Quod vult Deus, est enim vox verè composita, æquè ac beneplacens, Homobonus, circumuolet, venumdari, Transaquis, & similia, quæ tamen curtanda proponit.

Sophonias, *Stacteo*, *Theoprepidis*, *Thomaïdis*, *Tigidis*, *Tropea*; atque *Zenaïdis* iam haud semel in similibus vocabulis critico carbone notata.

Tyana, ex Græcis quippe, ipsoque Ouidio manifesti conuincitur erroris.

Superest ablatiuus *vncinis* ὀξύτονος Græcè, cu-

ius penultimam producit. At in ea voce Latina adeo trita ac vulgari peccâsse non vulgarem arguit oscitantiam.

Deinde *accersitur* inter communia collocat hac monitione additâ, *vsu tamen communiori producitur vti quartæ coniugationis.* quoad vsum, viderit ipse, certè hisce in regionibus, vbi maior habita semper fuit emendatæ Pronuntiationis ratio, *accersio* quartæ priscis illis casciſque Latinis relinquitur, eiuſdemque coniugationis esse censetur, accerso, atque arcesso, capesso, facesso, lacesso.

Tùm *Aquileia* penultimam attollit, cùm tamen vulgò inde vſque ad Silij Italici temporibus diphthongus dissoluatur penultimâ correptâ, sic *Sinuessa* vocem vult esse trisyllabam, nihilominus solet v in vocalem transire, cùm pronuntiantur *Sinuessa*, *suadet*, *suauis*, *Sueni*, &c.

Ipse quoque *anathema* censet vsu communiore longari, sed si caput vltimum Iudith excipias, vbi penultima τῶ *anathema oblinionis* à quibuſdam producitur, & habetur Sabbato hebdomadæ quartæ Septembris, nullus est in toto Missali aut Breuiario locus, immo nec in tota Scriptura sancta, saltem apud vulgatum Interpretem, vbi penultima τῶ *anathema* non debeat omnino corripi. Vide ergo, quæso, quos magistros sequare?

Adde quod *Adonai* dicat trisyllabum esse, non quatuor syllabarum: quod si semel admittas, cur Sadaï, Sinaï, Tolmaï, cùr Maria, vel Isaïas, similiaque dissoluis Hebræa? Equidem ipse vult *Casleu* vocem esse trisyllabam, cùm vulgò postremæ vocales vnam in diphthongum compin-

gantur : consentiat ergo ipse secum.

§. II.

Penultimam malè corripit in plurimis.

A *Cindinus*, docuimus enim alibi apud Homerum, Euripidem, aliosque Græcos, κίνδυνος penultimam producere, licèt Ausonius penultimam prædicti nominis corripuerit & Symmachus filius lib. 1. ep. 1. vbi Acindynus & Acindyna legitur.

Agapitus rectè longis annumerat, malè tamen subiungit, *sed vsus communior habet vt corripiatur penultima*, in Galliâ quidem eruditi omnes Agapitus producunt, cùm sit par vtriusque origo.

Agathoclia, at est Græcè in similibus fœmininis à nomine κλέος, non quidem ἀμίσως deriuatis diphthongus in penultima, quemadmodum & in penultima nominis *Antiochia*, vt ipsi quoque tirones non ignorant: cur enim, amabo, Alexandria, Seleucia, Nicomedia, Samaria, & similia vrbium nomina breuibus non æquè succenturiauit? vt quidam Linguæ Græce imperiti.

Ambicus, *Canicus*, & similia, de quibus inferiùs suo dicetur ordine, neque enim gemina esse putanda sunt barbarica illa ac peregrina nomina, cùm Classicus, Ponticus, Syncletica, Tychicus, Vvandalicus, Zoticus, quæ aliam longè præferunt originem.

Amisi, si à μῖσος malè, vt etiam anisum, si tamen est appellatiuum.

Andegaui, ita quidem plures, at cur non vt Gandaui, Olaui, Pictaui, &c.

Argymirus, Cordubæ passus, quidni enim vt Casimitus, Ramirus, &c.

Aristonis pessimè, nam non minùs longum est crementum, quàm Adrionis, Ardalionis, Bessarionis, Galationis, Chronionis, Piperionis, aliorumque eiusmodi, quæ tamen ipse passim producenda asserit.

Batauos, sæpius tamen producitur.

Bellouaci vnde? cùm dicat Anderlacum, Cameraco, Eboraci, Tornacum, nisi fortè ex triuialibus Lexicographorum quisquiliis. Fateor id quoque inoleuisse apud Gallos plerosque: sed quid facias? pluris esse debet eruditus vnus, quàm mille ἀγροίκοφοι Calepinocleptæ.

Cartesa & *Elphegus*, vnde?

Eobano, at quare non producit, vt Cenomanos, Pomeranis, &c.

Ephpheta, vulgò tamen penultimam attollunt omnes, immo & in ipsis, quæ videre hactenus licuit, Missalibus eadem accentu notatur syllaba, non præcedens, quod idem dicendum arbitror in *Sabacthani*.

Euorea vrbs Epiri, de ea tamen cogitandum ampliùs existimo.

Gerasimi, & rectè illud quidem: videtur enim eadem esse eius ratio ac Gelasimi, Onesimi, & similium.

Hermiæ, notanda tamen fuerant Suidæ verba, Τοῦτον δὲ τὸν Ερμίαν, agit de Atarnensi Eunucho seruo Aristotelis ac discipulo μόνον γράφουσι διὰ τοῦ ἰῶτα, subditque versum Hipponactis Iambicum, εὐνοῦχος ὢν καὶ δοῦλος ἦρχεν Ερμίας.

Maiorici & *Mappalici*, quorſum enim potiùs ea corripias, quàm Magnerici, aut Mederici, aut ſimilia.

Maſſili ac *Miropis* mihi iure ſuſpecta.

Paraclitus vetus quidem inter eruditos controuerſia, at contra torrentem, præſertim vbi ſcribitur verſus, obniti quis velit? verùm plura de hac Gauanti ſententiâ leges cap. 28. Sanreyani opuſculi pag. 167.

Philadelphia aduersùs emendatiſſimos veterum omnium codices Apocalypſeos, Strabonis, Stephani, Euſebij, Conciliorum, &c. Sed pleriſque pluris eſt Calepinus, aut inſulſus pædotriba de triuio quàm mille antiqui Scriptores.

Philorhomus vel *Philoromus*, quoquo enim modo ſcribas, videtur penultima producenda.

De Polyboto idem quoque non auſim penitus affirmare, licèt in eam ſententiam valde ſim procliuis, ſi agatur de nomine proprio: at in Martyrologio quinto Decembris locus eſt Aſiæ, de quo ſic Suidas, Πολύβοτον ὄνομα τόπου, ἢ τὸ πολλοὺς τρέφον, ἢ λιπαρὸν, rectè ergo inter correpta recenſuit.

Protolicus valdè mihi ſuſpectum, ni ſcribere malis Protolycus. At *Quiricus* & *Rudericus*, quæ ipſe curtanda edicit, certo certiùs extendunt penultimam, vt mirum ſit vel hac de re dubitaſſe hominem hiſce in rebus tantillum verſatum.

De *Sabbactani* iam dictum ſuprà.

Sapore quoque inter correcta recenſuit, de quo Suidas Σάπωρις ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς, quem Cedrenus Σαπώρην vel Σαβώριον appellat cum aliis ſcriptoribus Græcis; iſti enim duo ſub manu erant,

cùm has exararem lineas Auarici Biturigum Cuborum: fraudi haud dubiè Gauanto fuit Genitiuus Nestoris, aut Nicanoris, Philometoris &c.

Sycomorus, licèt enim, cùm profanorum scripta leguntur, possit corripi, vt teloneum produci: quia tamen hoc in sacris literis semper per nudum simplexque iota scribitur, illa verò per omega, Sycomori penultimam in rebus sanctis semper producam, telonij verò semper breuiabo.

Triphita cur ergo producit Zanitæ?

Turonis rectè corripuit, *sed amabo cur ausus est*, vt in Chrysoprasus, Sycomorum, eppheta, torcular, elatæ, aliisque nonnullis, *vulgatas in Missalibus ac Breuiariis notas contemnere, annon latam omnibus aperuit fenestram*, vt deinceps *in imperitam Typographicarum operarum, aut inficeti correctoris socordiam omnia ista Prosodica peccata, quæ libros Ecclesiasticos singulis penè paginis inquinant, meritò coniiciantur:* atque hæc obiter dicta sunto; *spes enim nobis affulget fore aliquando tempus, cùm summus Pontifex inchoatam in hymnorum emendatione Ecclesiastici officij correctionem, quod gloriosè iam præstitit Vrbanus VIII. non exactâ ad Lesbiam vulgi imperitorumque regulam, sed ex doctorum hominum sensu reformatâ Pronuntiatione, opus iamdudum ab omnibus expetitum perficiat, absoluatque.*

Varicus haud malè, videri enim posset vox omnino Latina, nisi quod in Africa passus dicitur. At *Victoricus* & *Vitalicus* malè omnino breuiantur.

Quod verò omnem superat fidem, *Theodulum* qui-

quidem inter longa recenset. Verùm imprudenter subiungit hæc verba, *sed communiore loquendi vsu corripitur, quem libentiùs sequimur* : Atenim primò, cur non eumdem, non vsum, sed abusum sequutus est in Elatæ, Sophiæ, Chrysoprasus, Turonis, &c. deinde apud quos tamdem praua hæc inualuit consuetudo? certè apud nostrates non viget, qui probè sciunt diphthongum Græcam imperitè tantum posse corripi, saltem in voce, quæ Græciæ natales suos debeat. Sed hæc pro instituto iam plus satis, neque enim omnia possumus hic exscribere, quæ contra vulgaris corruptelæ patronos moliti sumus.

XLIII. DISSERTATIONIS

Locum occupabunt Addenda quædam, ac forte etiam Corrigenda.

CVM pro triplici syllabæ dimensione triplex distinguatur accentus à Grammaticis, TONVS, SPIRITVS, & TEMPVS, & *toni* quidem Acutus, Grauis, & Circumflexus syllabæ competant secundùm *longitudinem*; *spiritus*, qui tenuis est, vel densus, rationem habeat *latitudinis*; *tempus* verò, breue & longum sequatur *profunditatem*: Nos à felicissimo politioris Latinitatis æuo pluribus sæculis remoti nullam inter pronuntiandum habemus rationem *temporis*, aliquantulam *spiritus*, in vnam dumtaxat *depressionem* aut *elationem* intenti, idque in solis *penultimis*, quas cum

breues sunt, deiicimus, cùm verò producuntur, attollimus. Quid olim factum sit, docet Vossius libro 2. de arte Grammatica cap. 9. ex Velio Longo, Seruio, Festo, & Mario Victorino: nos hîc quid vulgaris doctorum etiam hominum consuetudo ferat, inquirimus, quandoquidem verissimum illud esse putamus Sulpitij Apollin. effatum apud A. Gellium, libro 12. cap. 13 *Consuetudo cùm omnium rerum domina, tum maximè verborum est.* Esto itaque veteres Romani inter *Accentum* & *Quantitatem* discrimen statuerint, aliúdque fuerit olim *acui*, aliud *produci*; nos modò tantùm ea producere videmur inter pronuntiandum, quæ acuimus, intendimus, attollimus, cætera verò, ac si verè breuia essent, deprimimus, remissáque & languescenti voce abiicimus. Eodem porro accentu eleuamus syllabam breuem, cùm tertia à fine assurgit ob breuitatem penultimæ, ac si ea producta foret: vt patet in *Ordínibus*, & *Tempóribus*, *Delphínibus ac sermónibus*; *in frígidus & cal dus*, *Itália & Ecclesiis*, *Pópulus & pópulus*, *Mánibus à Manes*, *& mánibus à manus*, *&c.* ne de primis vltimísque syllabis exempla congeram, aut ad eas accedam penultimas, quæ cùm breues sint, nescio quo tamen fato attolluntur, vt patet in istis vocandi casibus: *Virgíli*, *Gregóri*, &c. vel cum *volúcris* ac *tenébræ* claudunt versum Hexametrum. Inde fit, vt è pronuntiationis hodiernæ legibus quantitatem in singulis syllabis iudicare nequeamus, sed tantùm in penultimis, neque tamen id constanter, perpetuóque tenore, vt modò planum fecimus. Accedit quòd nec

aliter circumflexum tonum pronuntiemus quàm acutum, aut contrà: ſed de his ſatis.

In recitandis Græcorum carminibus ſolius accentus rationem habemus in Gallia, non quantitatis, licèt admodum probabile ſit antiquos vtrumque attendiſſe: alioqui non video quî fieri potuerit, vt viri Muſices concentuúmque amantiſſimi, *quibus dederat ore rotundo Muſa loqui*, concinnitatem metrorum diuerſitatémque integram illibatámque ſeruarent. Quæ verò de Latinis diximus, firmantur auctoritate Fabij libro primo Inſtitutionum oratoriarum cap. 9. *Euenit vt metri quoque conditio mutet accentum, vt* Pecudes pictæque volúcres, *Nam* volúcres *mediâ acutâ legam, quia & ſi naturâ breuis, tamen poſitione longa eſt, ne faciat iambum, quem non recipit verſus heroïcus.*

Ad Reg. IX. Notanda ſunt verba Marciani Capellæ libro tertio de Nuptiis Philologiæ, capite de Faſtigio: *Græca nomina cum in Latinum vertuntur, noſtrâ regulâ pronuntiantur, niſi maneant Græca. Olympus igitur & Caucaſus ſicut Latina proferuntur, ſed ſi manent Græca, & huic regulæ in peregrinis vocibus accedimus, neceſſe eſt tamen in obliquis caſibus acutos ſonos in mediis ſyllabis ſeruent, quoniam apud Græcos quoque non alio accentu hæc enuntiari audimus.*

Ad Regulam V. Docet Voſſius in genitiuis *ſolius, vtrius, neutrius, & alterutrius* multò ſatius produci penultimam, etſi id vulgò vt ait (in Germania vtique, non in Gallia) negligi ſoleat etiam à præſtantiſſimis viris. Quod ad Vocatiuos ſecundæ ſpectat, audi Gellium lib. 13, Noctium Atti-

carum cap. 24. *Si quis nunc Valerium appellans in vocandi casu acuerit primam, non abierit quin rideatur:* illudque præterea obserua in versibus istis Horatij:

Mercuri facunde nepos Atlantis, &
Nulli flebilior quàm tibi Virgili,

attollendam esse antepenultimam *Mércuri, Vírgili*, non verò quod in prosa faciendum est, penultimam acuendam.

Ad Regulam IX. Reprehenderat meritissimo iure Gulielmus Baillius vir è societate nostra Græcarum litterarum scientissimus, in libello de Græcorum accentibus, exterorum quorumdam hominum inconstantiam, qui cum in *Alexandria, Thalia, ellipsis theatrum*, ac similibus non seruent accentum Græcum, eius nihilominus rationem habeant in *philosophia, phantasia*, & aliis huiuscemodi. Verùm cogitare debuit, inquit vir doctrinæ multiplicis laude celeberrimus, disparem esse in his rationem, quando *philosophia, phantasia, prosodia, diatyposis*, similiáque manent pura puta Græca: at *Alexandria, Thalia, ellipsis* mutarunt EI in I longum, ac *theatrum* pro *on* assumit terminationem Latinam. Quare etsi minimè improbamus eos, qui in *philosophia, etymologia*, & similibus Latinorum canones sequuntur; negamus tamen eos validis rationibus pugnare, cùm dissentientes à se damnant inconstantiæ. Hæc ille: quæ cùm paucis expenderimus, nisi me ratio fugit, quisquis veritatis amantior erit, quàm inueteratæ consuetudinis tenacior, illico intelliget frustra quæsitum esse à viro docto protegendæ suorum in-

constantiæ mantellum. Nam cùm tota eius ratio in eo posita sit, quòd vbi nihil mutatum est in voce Latino-Græcâ, liceat seruare accentum Græcum, vt in *philosophia*; vbi verò aliqua mutatio intercedit, vt in *theatrum*, fas sit accentui Græco nuncium remittere; & ad Latinorum regulas pronunciationem exigere. Quæro quid de *Alexandrea*, *Cesarea*, *Medea*, similibúsque sentiat, an tanta in iis intercesserit mutatio, vt desciscere possint ab accentu Græco, & ad Latinorum canones reuocari? Quid fiet nominandi accusandíque casibus pluralibus, quæ nullam patiuntur vel leuis literulæ iacturam? Sic enim *theatra*, *pharetra*, *ecclesias* Latinè scribimus iisdem literis, quibus Græci θέατρα, φαρέτραι, ἐκκλησίας: ridiculus verò sit, qui eodem donare velit accentu. Quid de sequentibus respondebitur, quæ apud Græcos accentum habent in penultima, Romanis autem auribus ingrata sint, si depressâ penultimâ acuas antepenultimam. Talia sunt *cathedra*, *diphthera*, *Origenes*, *Theagenes*, *canones*, *Macedones*, *idea*, *Melpomene*, *Penelope*, *æthera*, *harmonia*, &c. vt datiuos singulares nominum istorum non obtrudam, *Latomus*, *Carpophorus*, *Theologus*, *&c.* Ad hæc si quæ intacta sunt, possunt suum quoque seruare tonum, cur non *thymiama*, *peripsema*, *mathesis*, *prolepsis* acutâ antepenultimâ proferunt, quæ Græcis θυμίαμα, περίψημα, μάθησις, πρόληψις? Denique, maiórne cuipiam videri possit mutatio facta in *eremus*, *Aratus*, *papyrus*, *tetragonum*, *theatrum*, *ellipsis*, quàm in *Philosophia*, *etymologiam* & *phantasias*; vt hæc versâ terminatione Græca in Lati-

nam, Græcum accentum in pronuntiando retinere possint, illa verò vt primùm Italiam contigêre, confestim tenorem pristinum abdicare cogantur, & cum Sinone *veteres oblivisci Graios.*

Fumàt, obît, &c. similiter & in ablatiuis primæ declinationis & in quibusdam aliis ad confusionem tollendam: *Musa Musâ, confúgere confugere, láterem latérem, Rémus rêmus, áret âret, bólus bôlus, oblitus oblîtus, mála mâla*, &c. Certè id exigunt verba Fabij libro primo cap. *Longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est: quia plurima natura ipsa verbi quod scribitur parent. Sed interim necessarium, cùm eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit, vt Malus, Palus*, &c.

De *mihi* & *nihil* vide Vossium & Dausquium.

Plura, Deo fauente, aliàs. Interim moneo in Græcis accentibus, spiritibus litterulisque exprimendis nonunquam peccatum ab operis Typographicis detriti iam minutiorisque characteris excusationem prætexentibus. Hæc verò aliáque σφάλματα non ascribimus scrupulosiùs, quòd ea tirones præterire soleant, periti verò Lectores facilè per se emendare possint.

Horatius de arte Poetica.


Non alius faceret meliora Poëmata: verùm
Nil tanti est: ergo fungar vice cotis, *acutum*
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.
Munus & officium nil scribens ipse docebo:
Vnde parentur opes: quid alat, formétque Poëtã:

Quid deceat, quid non, quò virtus, quò ferat error.

Quidquid præcipies, esto breuis; vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneántque fideles.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Præiuerat Horatio Isocrates.

Ἡ ἀκόη, αὕτη μὲν οὐ τέμνει, τὰ δὲ ξίφη ὀξέα ποιεῖ.



SYLLABVS BREVIS SCRIPTORVM VETERVM, RECENTIORVMQ.

Qui in hoc volumine laudantur, illustrantur, emendantur.

A

ACTA S. Marcelli.
Actius, siue Attius.
Actuarius.
Actus Apostolorum.
Adelmus Scotus episc.
Æmilius Macer.
Æschylus.
Afranius.
Agathias.
Agnus Benignus Sanreyus.
Alcimus Auitus.
Alexander Lychnus.
Alexander Trallianus.
Alexis Comicus.
Aluarez, v. Emanuel.
Ambrosius Calepinus.
Ammonius.
Amœnus.
Amphion Thespiæus.

Christoph.






MINIMORVM . CONVENTVS .
CHA
RI
TAS